Dr. ALEXANDER GRIGAITIS

PROFESSOR VETERIS TESTAMENTI IN ROM.-CATH. ACADEMIA ECCLESIASTICA
PETROPOLITANA, CAN. CATH. DIOEC. SEINENSIS

COSMOGONIA BIBLICA

(INDOLES HISTORICA)



HELSINGFORSIAE 1917
EX·OFFICINA SOCIETATIS LITTERARIAE FENNICAE

NIHIL OBSTAT.

Petropoli, 17 Aprilis 1916.

Can. Sig. Łoziński M. S. Th., censor deputatus.

IMPRIMATUR.

Datum Petropoli, die 5/18 Aprilis 1916 an.

+ Joannes Eppus.

(L. S.)

Secretarius V. Płoskiewicz M. S. Th.



Дозволено военной цензурой за № 8039.
Петроградъ 7 октября 1916 г.

Praefatio.

Cosmogonia biblica exiguam partem praelectionum, in seriem problematum Veteris Testamenti coram Studiosis Rom.-Catholicae Academiae Ecclesiasticae Petropolitanae institutarum, comprehendit.

Equidem haud pauca opera de cosmogonia biblica in variis regionibus recenter composita sunt, quae tamen in Russia propter exteras linguas ad intelligendum interdum non sunt pervia.

Studium, quod sequitur, lingua ecclesiastica, omnibus nota exaratum, recentissimas investigationes circa historicam indolem cosmogoniae biblicae exhibet atque Amantissimis Auditoribus succinctam partem praelectionum in Gen. 1 ad manum praebet.

Petropoli, Die festo Purificationis Beatae Mariae Virginis 1916 a.

ALEXANDER GRIGAITIS.

Opera adhibita.

Acta Apostolicae Sedis, vol. I Romae 1909.

D'Alès A., Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique, Paris 1909 ss..

Benzinger J., Hebräische Archäologie, Freiburg i. Br. 1894.

Budde K., Die biblische Urgeschichte, Giessen 1883.

Buhl W., Gesenius' hebräisches und aramäisches Handwörterbuch[15], Leipzig.

Cornely R., Historica et critica introductio in U. T. Libros sacros[2], Parisiis 1897.

Damascii Phil., Quaestiones de primis principiis, Ed. Kopp.

Delitzsch Frd., Babel und Bibel[4], Leipzig 1903.

Dhorme P., Choix de textes religieux assyro-babyloniens, Paris 1907.

Dillmann Aug., Genesis, Leipzig 1892.

Eusebius Caesariensis, Chronicorum l. I (Ed. Migne P. G., t. 19).

„ „ Praeparatio evangelica (Ed. Migne P. G., t. 21).

Flunk M., Expositio in Genesim I-II, Oeniponte 1899.

Gesenius-Roediger, Thesaurus philologicus criticus linguae hebraicae et chaldaicae Veteris Testamenti, 3 tomi Lipsiae 1835-1853.

Grau Frd., Semiten und Indogermanen in ihrer Beziehung zu Religion und Wissenschaft, Eine Apologie des Christentums vom Standpunkte der Völkerpsychologie[2], Stuttgart 1867.

Gressmann H., Altorientalische Texte und Bilder zum Alten Testamente I-II, Tübingen 1909.

„ „ Die Ausgrabungen in Palästina und das Alte Testament, Tübingen 1908.

Gunkel H., Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit, Göttingen 1895.

„ „ Genesis übersetzt und erklärt[3], Göttingen 1910.

Hetzenauer M., Commentarius in librum Genesis, Graz 1910.
„ „ Theologia biblica, I Vetus Testamentum, Freiburg i. B. 1908.
Hoberg G., Genesis nach dem Literalsinn erklärt[2], Freiburg i. B. 1908.
„ „ Babel und Bibel, Freiburg i. B. 1904.
Holtzhey K., Schöpfung, Bibel und Inspiration, Stuttgart 1902.
Holzinger H., Genesis, Freiburg i. B. 1898.
Hommel Fr., Die altorientalischen Denkmäler und das Alte Testament, Berlin 1905.
Höpfl, Die höhere Bibelkritik, Paderborn 1902.
Hummelauer Fr., Commentarius in Genesim, Parisiis 1895.
Jensen P., Assyrisch-babylonische Mythen und Epen, (Keilinschriftliche Bibliothek. VI, 1). Berlin 1910.
„ „ Die Kosmologie der Babylonier, Strassburg 1890.
Jeremias Alfr., Das Alte Testament im Lichte des alten Orients[2], Leipzig 1906.
Kamerlynck A., Compendium introductionis generalis in sacram Scripturam, Pars prior, Brugis 1911.
Kaulen F., Der biblische Schöpfungsbericht, Freiburg i. B. 1902.
Keil, Zur Babel-Bibelfrage, Trier 1903.
Kirchner A., Die babylonische Kosmogonie und der biblische Schöpfungsbericht, Münster i. W. 1910.
Knudtzon I. A., Die El-Amarna-Tafeln (Vorderasiatische Bibliothek), Leipzig 1907 ss.
Kröll M., Die Beziehungen des klassischen Altertums zu den hl. Schriften des Alten und Neuen Testamentes, Trier 1901.
Lagrange M. J., Études sur les religions semitiques[2], Paris 1905.
„ „ Hexaëmeron, in Revue biblique V, Paris 1896 pag. 381-407.
Loisy Alfr., Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse, Paris 1901.
Lotz, Die biblische Urgeschichte, Leipzig 1907.
Louis, La Bible et les documents assyro-babyloniens, in Revue pratique d'apologétique, Paris 1906 I-II.
Lukas, Die Grundbegriffe in den Kosmogonien der alten Völker, Leipzig 1893.
Mandelkern S., Veteris Testamenti concordantiae hebraicae atque chaldaicae, Lipsiae 1896.
Maspero G., Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique, Paris 3 vol. I-1895, II-1897, III-1908.
Mechineau P. L., L'Historicité des trois premiers chapitres de la Genèse, Rome 1910.
Migne J. P., Patrologiae cursus completus, Paris.
Müller Otfr., Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie, Göttingen 1825.

Nikel J., Genesis und Keilschriftforschung, Freiburg i Br. 1903.
" " Das alte Testament im Lichte der altorientalischen Forschungen, I Die biblische Urgeschichte, Münster i. W. 1909.
Ovidius P., Metamorphoses, Lipsiae 1867.
Reinke Laur., Beiträge zur Erklärung des alten Testamentes, Münster 1851 ss.
Röntsch J.. Ueber Indogermanentum und Semitentum, Eine völkerpsychologische Studie, Leipzig 1872.
Schrader-Zimmern-Winckler, Die Keilinschriften und das Alte Testament[3], Berlin 1903.
Skinner J., A critical and exegetical commentary on Genesis, Edinburgh 1910.
Strack H., Die Genesis übersetzt und ausgelegt[2], München 1905.
Tanquerey Ad., Synopsis Theologiae Dogmaticae specialis[13], Romae, Tornaci, Parisiis 1911.
S. Thomas Aq., Summa Theologica[17], Parisiis, Bloud et Barral.
Тураевъ Б. А., Исторія древняго Востока[2] I-II. Петроградъ 1913, 1914.
Wellhausen J., Prolegomena zur Geschichte Israels[4], Berlin 1895.
Vigouroux F., Dictionnaire de la Bible 5 vol. Paris 1895-1912.
" " La Bible et les découvertes modernes en Palestine, en Égypte et en Assyrie[6], 4 t. 1896.
" " Les Livres saints et la critique rationaliste[5], 5 t. Paris 1901-1902.
Zapletal V., Alttestamentliches, Freiburg i. d Schw. 1901.
" " Das Hohelied, Freiburg i. d. Schw. 1907.
" " Der Schöpfungsbericht der Genesis[2], Regensburg 1911.
" " Der Totemismus und die Religion Israels, Freiburg i. d. Schw. 1901.
Zimmern H., Biblische und babylonische Urgeschichte[3], Leipzig 1903. *)

---

*) Et alia opera in decursu studii obiter indicata.

Prooemium.

Vetus Testamentum multas difficiles quaestiones comprehendit, quod a principio sacrarum Litterarum statim apparet; prima enim pagina Veteris Testamenti insigne problema de initio universitatis rerum et de origine mundi exhibet, quod cosmogonia communiter audit.

Ipse liber Genesis in genere haud paucas difficultates complectitur tum propter magnum temporis intervallum ab eiusdem origine usque ad nostrum aevum, tum propter singularem indolem orientalem, nobis in multis alienam, tum denique propter loca geographica et alias circumstantias, in libro sacro occurrentia atque passim nobis ignota; initium huius libri — cosmogonia eo maiores difficultates praestat, quod veritates sublimes exhibet neque quis testis eventuum ibi descriptorum fuit. Sed haec quaestio est maximi momenti, utpote basis revelationis divinae, generi humano concessae. Mirum igitur non est, quod de cosmogonia biblica inde ab antiquissimis temporibus multa scripta sunt[1]).

---

[1]) Rem litterariam copiose collegerunt: *R. Cornely*, Historica et critica introductio in U. T. Libros sacros², vol. II, 1, pag. 161-169; *F. Hummelauer*, Commentarius in Genesim, pag. 43-74; hi fontes historiam interpretationis cosmogoniae biblicae comprehendunt; *G. Hoberg*, Die Genesis nach dem Literalsinn erklärt², pag. LII-LIX; *M. Hetzenauer*, Commentarius in librum Genesis, pag. X-XVI, quibus nonnisi pauca opera addenda sunt, v. g. ex professo pro-

Nihilominus quaestio haec, quae etiam usquemodo quaedam obscura adhuc continet, iterum atque iterum elaboratur. Iam Patres primorum Ecclesiae saeculorum ad cosmogoniam biblicam explicandam varias theorias proposuerunt, quae tamen posteris propter progressum scientiarum insufficientes esse videbantur.

Theologi et philosophi medii aevi ac recentiorum saeculorum pariter eam dilucidare conati sunt, qua in re tamen prae antecessoribus suis parum profecerunt.

Attamen recentiora tempora ad cosmogoniam biblicam explanandam multum contulerunt. Etenim explorationes in oriente, circa medium XIX-um saeculum susceptae, gravia documenta in lucem protulerunt. In excavationibus ruinarum antiquae urbis Ninivae, hodie tell Kujundšik, prope hodiernam urbem Mosul, in palatio regis Asurbanipalis (668-628 ante Christum n.), anglus G. Smith bibliothecam huius regis iterum[1]) explorare sibi proposuit. Qui labores faustum successum habuerunt, nam 1875 a. tabellae fictiles, maiorem partem babylonici poematis de mundi creatione continentes, inventae sunt. Annis sequentibus, iam post mortem G. Smith, explorationes ab aliis, ut Rassam, recenter vero a King (1901 an.) continuabantur et nova fragmenta reperta sunt. Licet propter sinistras temporum vicissitudines lacunae insignes in tabellis illis ortae sint, substantia tamen rei sufficienter intelligi potest.

Ubi primum haec documenta apparuerunt, etiam antequam textus sufficienter stabilitus est. a nonnullis criticis conclusiones ad veritatem narrationis l. Genesis confirmandam et authentiam mosaicam probandam statim eruebantur.

Post theoriam autem scholae Wellhausen de recenti origine Pentateuchi diffusam, post auctoritatem Veteris Testamenti

---

blema tractans: *A. Kirchner*, Die babylonische Kosmogonie und der biblische Schöpfungsbericht, atque nonnulla alia rem in genere spectantia ac in decursu studii indicata.

[1]) *Layard* eam una cum palatio Asurbanipalis iam antea 1849-1851 a. invenit.

impugnatam, a multis criticis haec documenta adhiberi coeperunt ad mutuationem cosmogoniae biblicae ex mytho babylonico demonstrandam ac proinde ad historicam auctoritatem illius denegandam. Acris pugna orta est.

Multi acatholici porro etiam religionem Israel ab ideis religiosis Babyloniorum esse dependentem atque illam indole pure humana ac naturali gaudere asseruerunt[1]). Ex parte catholicorum pariter multa opera ad cosmogoniam biblicam vindicandam edita sunt.

Tandem 1909 a. 30 iunii huic controversiae Ecclesia lege directiva intercessit, scilicet, Commissio Pontificia de Re Biblica normam directivam de historica indole trium primorum capitum libri Genesis, per consequens cosmogoniae biblicae, edidit.

Igitur ad indolem historicam Gen. 1 stabiliendam illa duo recentia argumenta prae oculis habeo, nempe:

Primo, effossam cosmogoniam babylonicam, quae theoriam de extraiudaica origine Gen. 1 effecit.

Secundo, decretum Commissionis Pontificiae de Re Biblica, quod veritatem historicam cosmogoniae biblicae tuetur.

In prima parte:

A. Initio ipsum fundamentum, scilicet, praecipuae et peculiares ideae cosmogoniae biblicae eruuntur.

B. Deinde argumentum babylonicae narrationis de origine mundi describitur.

C. Postea ad studium omni ex parte perficiendum mythi de creatione praecipuarum aliarum gentium proponuntur.

D. Tum affinitas inter cosmogoniam biblicam et cosmogonias gentiles fuse lateque explanatur.

E. Denique de indole historica Gen. 1 et de origine cosmogoniae biblicae concluditur.

---

[1]) Cfr *Louis*, La Bible et les documents Assyro-Babyloniens, p. 481 ss.

In altera parte eaque brevi:

A. Primo textus decreti de charactere historico trium priorum capitum Geneseos, per consequens cosmogoniae biblicae, adducitur.
B. Deinde explicatio decreti in medium profertur.
C. Tum quattuor argumenta decreti ad indolem historicam cosmogoniae biblicae probandam evolvuntur.

D. Denique **corollarii** instar res brevi relatione Gen. 1 ad disciplinas physicas absolvitur atque toti studio **conclusio finalis** imponitur.

Pars prima.

A. Praecipuae ideae cosmogoniae biblicae.

1. Creatio mundi eiusque status initialis.

Cosmogonia biblica primo s. Scripturae Veteris Testamenti libro continetur. Narratio de mundi origine initio huius libri posita est atque plus quam unum caput, nempe Gen. 1, 1-2, 3 complectitur.

Ad comparationem inter cosmogoniam biblicam et cosmogonias gentiles instituendam, unde conclusio de illius historica indole sequitur, primo argumentum seu ideae principes cosmogoniae biblicae eruendae sunt[1]).

Pulcherrima pagina Veteris Testamenti incipit verbis: „*In principio creavit Deus coelum et terram.*“ Gen. 1, 1. Iudaeis ad polytheismum et cultum idolorum pronis, scriptor Genesis in ipso limine narrationis suae tria indicat: initium rerum, auctorem mundi, creationem universitatis rerum.

Sensus singulorum vocabulorum huius propositionis est, qui sequitur:

„*In principio*“, hebraice בראשית, scilicet, cum praeter Deum nihil esset. Posteriores hagiographi hanc vocem pariter adhibent, v. g. Ieremias 26, 1; 27, 1; 28, 1 etc. loquens de initio alicuius regni. Quae vox Gen. 1, 1 sensum

---

[1]) Copiosam interpretationem Gen. 1 cfr praelectiones exegeticas.

exhibet: in principio, ante omnia, primum omnium, initio omnium (s. Basilius, h. l.); igitur intelligenda est in sensu principii absoluti, scilicet, uti principium creationis, non autem uti principium tantum formationis.

Quae significatio בראשית uti principii absoluti confirmatur etiam recepta communiter in antiqua Ecclesia huius vocis significatione in sensu verbi aeterni — *τοῦ λόγου*, quod in Novo Testamento vocatur „principium": Coloss. 1,18; Apoc. 22,13; aut „principium creaturae": Apoc. 3, 14, de quo Coloss. 1, 16 dicitur: *„quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra"*. Opinio igitur antiquorum Patrum ea fuisse videtur: principium Genesis esse primum omnium; si vero primum, ergo non relativum, sed absolutum ac proinde et a Deo esse et in Deo. Unde s. Ambrosius „non mirum, ait, si Deus, qui est sine initio, initium omnibus dedit" [1]).

„Creavit", hebraice ברא, quod verbum in formis Qal et Niphal operationem tantum Dei propriam denotat, scilicet, quadragies septies in Veteri Testamento occurrit, at illud significat non solum actionem stricte creatricem, qua nimirum Deus ex nihilo aliquid producit, sed etiam operationem, qua ex materia iam existenti aliquid format [2]).

Itaque haec vox in V. T. exclusive de Deo, nunquam autem de homine praedicatur, ea occurrit: a) de prima productione coeli et terrae, videlicet, universitatis rerum (Gen. 1, 1; 2, 3-4); b) de creatione hominis (Gen. 1, 27; 5, 1-2; 6, 7; Dt. 4, 32); c) de prima vitae animalis productione (Gen. 1, 21); d) de illo cherub, cuius imagine rex Tyri designatur (Ezech. 28, 13); e) tandem de portentis quibusdam, quae solummodo immediato Dei interventu effici potuerunt (Num. 16, 30).

Attamen ex solo verbo argumentum certum de creatione ex nihilo deduci non potest; sensus ex contextu eruitur: a) scriptor sacer primam rerum originem describere intendit, ut patet ex voce בראשית (in principio), quae contextu proximo

---

[1]) Hexaëmeron, l. I c. 3: *Migne P. L.* 14, 126.

[2]) *Mandelkern,* Veteris Testamenti concordantiae; *Buhl,* F., Gesenius' hebr. und aram. Handwörterbuch[15], ad verbum ברא.

inspecto, initium creations rerum visibilium innuit; neque tamen ullam praeexistentem materiam, ex qua mundus formatus erat, commemorat; cum enim de aliis operibus loquitur, materiam, ex qua confecta erant, indicat, v. g. „*Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae .... formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae*“ (Gen. 2, 7. 19). b) Porro amplitudo terminorum (coelum et terram) ostendit, hic loci agi de omnium rerum productione, non autem de materiae iam existentis elaboratione. c) Tum modus, quo creatio fit, nempe solo verbo (dixit), denotat potentiam, quae materia praeiacenti non indiget. d) Tandem discrimen, ab ipso scriptore factum, argumentum firmat, nam Gen. 2, 3 Deus septima die ab omni opere, quod *creavit faciendo* cessasse dicitur, per consequens idem hagiographus inter creationem et simplicem operationem expresse distinguit.

Denique res omnino certa evadit ex contextu remoto seu ex locis parallelis, scilicet, haud ambigua huius notionis vestigia in aliis libris sacris inveniuntur: a) Prophetae saepe potentiam creatricem Dei extollunt, unde patet Deum esse omnium rerum auctorem, etiam lucis et tenebrarum. (Amos 4, 13; 9, 5-7; Ierem. 10, 12-17; 51, 15-20; Is. 40-56). b) Eadem doctrina invenitur in psalmis, ubi omnia simplici verbo Dei facta esse dicuntur (ps. 32, 6. 9; 103; 113, 3; 135, 5-10); in libris sapientialibus, ubi asseritur Deum omnia fecisse, etiam abyssos, immo et ea, quae nobis videntur mala prout, grando, fames, mors. (Prov. 8, 22-32; Eccli. 39, 30-39)[1]). c) Manifestum argumentum praestat 2 Mach. 7, 28 ubi femina ex plebe illam ideam claris verbis exprimit: „*Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram, et ad omnia, quae in iis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.*“ Si tempore Machabaeorum etiam femina ex plebe illam notionem habet, inde sequitur, ideam de creatione ex nihilo iam diu antea in Israel notam fuisse.

„*Coelum et terram*“, hebraice את השמים ואת הארץ obiec-

---

[1]) Cfr *Tanquerey*, Synopsis Theologiae dogmaticae specialis[13], vol. I, pp. 436-437.

 2

tum creationis divinae hisce significatur. Ex usu linguae hebraicae locutione „coelum et terra“ universus mundus visibilis, graece κόσμος notatur.

Hebraei enim propria voce ad mundum designandum carent, quod tali modo descriptive exprimunt. Coelum igitur hic loci intelligendum est materiale, sicut et terra.

Primus itaque versus, titulum cosmogoniae constituens, indicat universitatem rerum rationem existentiae initio a divina actione creatrice accepisse, ante quam non fuerit et per quam dumtaxat initium existendi acceperit. Hisce scriptor l. Genesis lectores Israelitas docet et monet, videlicet, ut eos veritate fundamentali verae religionis imbuat (finis dogmaticus) et contra cosmogoniam gentium vicinarum protegat (finis apologeticus).

Gravissima veritate de creatione mundi v. 1° declarata, scriptor sacer v. 2° gressum facit ad conditionem terrae adhuc imperfectae describendam. Terra ideo hic loci est in statu chaos, nam proprie dicta dumtaxat tertia die formata esse dicitur (vv. 9 ss.).

Illam fuisse תהו ובהו scilicet, „vacuam et vastam“ (secundum hebr. textum), nempe vitae, lucis, caloris, ordinis expertem seu omnia in statu chaotico fuisse dicitur.

Quae etiam „abyssus“ spissis tenebris involuta, hebraice תהום appellatur, videlicet, mare primigenium seu oceanus. Haec vox non in sensu maris proprie dicti adhibetur, cum veri nominis maria tertia dumtaxat die apparuerint, sed hic loci posita est ad indicandam chaoticam conditionem primitus creatae materiae eiusque immensitatis.

Quae denique המים „aqua“ vocatur ita, ut in hoc versu tria nomina ad chaos designandum habeantur, nempe: terra, mare primigenium, aqua.

Quae primigenia terra non propriis viribus derelicta est, sed subiecta erat spiritui Dei, omnia ordinanti vitamque creaturis tribuenti instar ovi, quod volucris calore animatur, hebraice מרחפת (incubabat) expressum; quod verbum adhuc

Dt. 32, 11 occurrit de aquila, alas suas expandente et pullos suos ad volandum provocante ac custodiente, videlicet, spiritus Dei volucris instar super chaos ferebatur, ut illud ad iustum ordinem redigeret seu Deus virtute creatrice illud animabat, disponebat, evolvebat ac conservabat.

Igitur versu 2° status initialis terrae proponitur, nempe: fuit quidem materia indigesta et vacua ab omni ornatu, aquis tenebrisque circumdata, sed simul apta, quae sub influxu animantis virtutis Dei ordinem et ornatum reciperet.

2. Hexaëmeron.

Duo tridua.

Post primariam conditionem terrae indicatam, a Gen. 1, 3-31 hexaëmeron seu opificium sex dierum describitur, cui deinde dies septima seu sabbatum subsequitur (Gen. 2, 1-3).

Opera hexaëmeri in duas partes principales apte dividuntur seu in duo *tridua*, nempe utraque pars opera trium dierum complectitur. Prima pars, quam scholastici opus distinctionis vocabant, opus primi tridui comprehendit, quo terra hucusque aquis submersa et tenebris involuta, ad animalia et homines suscipiendos adaptatur. Secunda autem parte, quae alterum triduum complectitur et a scholasticis opus ornatus dicitur, omnia animantia apparent.

Hexaëmero absoluto scriptor sacer concludit: *„igitur perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum“* Gen. 2, 1. Quibus verbis clavis ad schema Gen. 1 solvendum continetur, prout iam scholastici animadverterunt; attamen divisio Gen. 1 ab iis facta in „opus distinctionis“ et „opus ornatus“ est minus recta[1]); haec denominatio verbis Vulgatae,

---

[1]) Quod vitium primus deprehendit optime meritus exegeta Fri burgensis prof. *Zapletal* in opere: „Der Schöpfungsbericht der Genesis[2], p. p. 107-114; recentes exegetae communiter eum sequuntur.

non autem textu primigenio nititur; in textu vero hebraico adest: „exercitus eorum“ צבאם, loco „ornatus eorum“. Ex appellatione scholasticorum oritur difficultas de plantis quae ab eis ad opus distinctionis adnumerantur, cum illae ex natura sua potius ad opus ornatus adnumerari debeant. Igitur pro divisione in „opus distinctionis et ornatus“, alia denominatio, scilicet, „productio regionum et exercituum“ statuenda est. Primis tribus diebus regiones pro „exercitibus“ formatae sunt: prima die — coelum pro astris, secunda die — aër pro avibus et aqua pro piscibus, tertia denique die — arida pro bestiis et hominibus. Qua explicatione admissa evanescit difficultas de plantis, quae tertia die una cum arida et ante solem stellasque apparent; etenim productio plantarum necessaria est ad perfectam praeparationem aridae ad bestias et homines recipiendos.

Oritur tamen quaestio, utrum opera trium ultimarum dierum „exercitus“ צבאם vocari possint. Utique possunt, secus enim צבאם in Gen. 2, 1 nullum sensum haberet. In dubium vocari non potest, quin Semitae in genere stellas uti exercitum sibi repraesentaverint[1]). Similiter etiam Israelitae putabant, quod ex non paucis Veteris Testamenti textibus patet v. g. Iudic. 5, 20: „*De coelo dimicatum est contra eos; stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*“; Is. 40, 26.

Scriptor Genesis item aves, pisces, bestias, homines — exercitum appellare poterat non solum propter pugnam, quam inter se semper gerunt, sed etiam propter motum agitationemque eorum; vox enim צבא = exercitus, in prima significatione sua motum vel iter, scilicet, ad bellum designat.

Scriptor s. cum ab imagine exercitus in stellis describendis inchoasset, eandem imaginem continuare vult, licet reliquae creaturae tamquam exercitus ab Israelitis ordinarie non depingerentur. Heic probabiliter hagiographus notionem motus in creatione animalium describenda firmiter exprimit, v. g. versu 20: „*scateant aquae reptilibus et volatilia vo-*

---

[1]) *Jensen*, Assyr.-babylonische Mythen und Epen, p. 425-431.

lent“ ישרצו המים שרץ . . . . ועוף יעופף; vel. Gen. 1, 24: „*terra producat*“ תוצא הארץ, quibus motus intimatur. In homine creando firma expressio motus erat superflua, nam homo est rex ceteri exercitus atque tota idea exercitus de homine sumpta est.

Post generales observationes de divisione hexaëmeri ad principes atque peculiares ideas singularum dierum eruendas accedimus.

Primum triduum:

Creatio regionum.

Prima dies.

Gen. 1, 3-5.

Prima die Deus in chaos lucem produxit, eam a tenebris divisit atque eo ipso diem a nocte separavit, quod non significat Deum physica actione id fecisse, quasi lux et tenebrae simul in eodem loco fuissent, quod esset absurdum, sed Deum morali atque legifera actione sanxisse designat, ut porro certis intervallis tenebrae luci et lux tenebris succederent[1]).

Scriptor s. nullam difficultatem sensit, cum productionem lucis prima die ante creationem solis astrorumque poneret[2]), nam secundum ideas vulgares illius temporis scripsit, secus a coaevis non intelligeretur; notionem autem lucis utpote a sole, luna, stellis omnino independenter existentis antiquitus in oriente communem fuisse cognoscimus, v. g. Iob quaerit: „*Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet et tenebrarum quis locus sit*“ 38, 18-19; pariter propheta Ieremias loquitur 10, 13 (cf. LXX). Similiter de luce opinati sunt in oriente Babylonii, qui praeter deum

---

[1]) *Hummelauer*, Commentarius in Genesim p. 94.

[2]) *Skinner*, Genesis, p. 20.

solis et deos stellarum alium distinctum deum lucis colebant[1]).

Lux prima, fundamentalis conditio omnis existentiae atque ordinis in universitate rerum esse putabatur; per consequens etiam in cosmogonia biblica primo loco, initio creationis lux a scriptore s. ponitur. Creatio autem stellarum ad opus, quod ornatus seu potius productio exercituum dicitur, adnumerabatur, propterea ad alterum triduum, ad diem nonnisi quartam refertur.

Hic loci igitur scientifica nostra theoria physica de luce non est quaerenda.

Notandum est, Deum in hexaëmero verbo solo creantem proponi, quod actum voluntatis divinae designet, cuius sensibilem manifestationem hagiographus anthropomorphice sub specie locutionis Dei exprimat. Actum voluntatis divinae impletio statim sequitur. Nemo Deo resistit, nullum vestigium repugnantiae vel dimicationis hic deprehendi potest.

Scriptor sacer primam diem aliasque formula finali claudit: „*Et facta est vespera, et factum est mane dies prima*“... (Gen. 1, 5)[2]).

Secunda dies.

Gen. 1, 6-8.

Secunda die Deus mandavit, ut in media aqua fieret firmamentum, quod aquas superiores ab inferioribus separaret. Primigenia terra, opinione scriptoris, aqua circumdata erat (Gen. 1, 2); hinc Deus partem superiorem aquae sursum tollit atque ab inferiore separat ope firmamenti, quod aquam sustentet.

Itaque firmamentum, hebraice רקיע, graece *στερέωμα* in hexaëmero designat coelum caeruleum seu fornicem coelestem, qui iuxta opinionem antiquorum non opticam illusionem exhibebat, sed quasi materiale aedificium erat, quod in Scriptura sacra camerae superiori comparatur (Amos 9, 6);

---

[1]) *Jensen*, Op. c., p. 562.

[2]) De sensu יום „diei“ cf. finem VII d, p. 40.

firmamentum columnis innititur: „*Columnae coeli contremiscunt*“ . . . (Iob 26, 11); in superficie est solidum, sicut „*speculum fusum*“ (Iob 37, 18); portam ac fenestras habet: „*Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli*“ (Gen. 28, 17); „*si Dominus fecerit etiam cataractas in coelo*“ . . . (4 Reg. 7, 2); supra firmamentum erat pars primigeniae aquae oceani: „*Et cataractae coeli apertae sunt et facta est pluvia super terram* . . .“ (Gen. 7, 11-12).

Aquae superiores hic loci nubem non denotant, sed partem primigenii chaos, supra solidum fornicem coelestem positam; Israelitae enim bene noverant, nubes oriri e nebula, quae de terra surgit; incolae Palaestinae, praecipue montanorum Iudeae, saepe saepius vident, nebulam ex mari surgere et paulatim in montes levari; tempore pluviarum ibi nebula campo et montibus mane sedere solet. Inde scriptori hexaëmeri notum erat, nubes ex mari oriri, per consequens ad aquas sub firmamento pertinere. Insuper nubes conceptui firmitatis non satis respondent, huc et illuc enim feruntur, in Palaestina saepissime plane absunt, nam a mense maio ad octobrem coelum nubibus est vacuum.

Quae igitur descriptio firmamenti solidi et aquarum superiorum non est scientifica, sed historico-popularis atque communem sensum, tunc temporis inter orientales maxime divulgatum, exprimit. Scriptor s. secundum ideas temporis sui loquitur.

Tertia dies.

Gen. 1, 9-13.

Opus tertiae diei est duplex: superiore regione ordinata, Deus peculiari modo inferiorem sphaeram in ordinem reducit, scilicet, aquas inferiores separat ab arida, quam insuper plantis ornat.

Hagiographus aquas superiores supra firmamentum positas amplius non curat, sed oculos in terram convertit.

Aquae, infra firmamentum existentes, secundum Dei man-

datum, in unum specifice locum refluxerunt et certis limitibus detentae sunt, ut arida appareret, sc. obtutui. Congregationes aquae nomen marium acceperunt, arida vero — terra appellata est. Itaque terra per aquae recessum duo obtinuit, quibus antea carebat: primo, ut conspicua esset, secundo, ut sicca et solida fieret.

Tertia dies alterum adhuc opus continet, scilicet, regnum vegetale, quod ad perfectam aridae praeparationem pertinet. Terra arefacta evenit fertilis atque plantas produxit.

Classificatio regni vegetalis est popularis, ratione, videlicet, habita modi, quo plantae semen producunt: עשב (herba, olera) — semen propatulum et עץ (arbor) — fructibus inclusum. Ex eo, quod scriptor sacer plantas terrae in herbas et arbores fructiferas tantum distinguit, concludimus, ab eo omne genus plantarum nequaquam recenseri, nam ab eo omittuntur non solum plantae, quae in mari nascuntur, sed etiam eae arbores, quae aut fructu omnino carent, aut in quibus semen non intra fructum reconditur, sed idem est ac fructus, cuiusmodi sunt quercus et nux; textus sacer agit de solis plantis alimentariis, de iis, scilicet, quae cibo sunt hominibus animalibusque. (Gen. 1, 29)[1]).

Hagiographus probe noverat, plantas absque sole crescere non posse, attamen iuxta propositum schema: regionum et exercituum, cum perfecta terrae praeparatione eas coniungit atque ante creationem solis assignat, nam inspiratus scriptor evolutionem mundi minime explanat.

Hisce triduum prius terminatur.

---

[1]) *Hummelauer*, Op. c., p. 100.

Alterum triduum:

Creatio exercituum.

Quarta dies.

Gen. 1, 14-19.

Priori triduo, tribus regionibus seu sphaeris distinctis, vdl. aërea, liquida, solida, regiones illae exercitu suo replentur, perfectionem exinde accipientes.

Quarta die, iussu Dei, coelestia luminaria creata exhibentur; quae non tantum visibilia facta sunt, sed primum producta narrantur seu creatio luminarium comprehenditur. A vicinis gentibus sol et luna et stellae uti divinitates colebantur; Hebraeis autem nihil aliud esse indicantur, nisi mera luminaria, a Deo in coelo posita (Gen. 1. 14); divino spiritu inflatus scriptor ne veris quidem nominibus ea appellat, probabiliter ne ideas gentiles de eis in mentibus lectorum excitet; contra gentilem cultum „coelestium luminarium" praemonens, fusius scopum ac munera eorum explicat:

Destinata erant ad separandam diem et noctem; superioribus versibus 4-5 hagiographus factum distinctionis inter diem et noctem indicavit; hic loci causam illius alternantis vicissitudinis adnotat, qua periodico luminarium motu dies noctibus noctesque diebus succedere solent. Quod antea lucis beneficio tributum erat, id nunc astris datur. Hoc est primum munus luminarium.

Proxime sequentibus verbis alterum munus exprimitur, scilicet, ut varia signa et tempora statuta, et dies et annos determinent et quidem primo, signa esse dicuntur, videlicet, ut diversas res indicent: ita agricolae ex diligenti solis et lunae observatione de pluvia et de serenitate concludere solent; viatores et nautae ex situ solis ac stellarum in firmamento situm locorum et directionem tam in terra, quam in mari determinare possunt; secundo, indicant tempora statuta: huc referri possunt quattuor tempora anni, tum generatim ea, quae sive lege quadam, sive natura certis tempo-

ribus attribuuntur, prout festivitates, quovis anno recurrentes atque ex solis astrorumque motu determinandae, tum etiam tempora sementis et messis pro hominibus, tempus migrationis et reditus pro avibus (Ier. 8, 7), tempus virescendi, florendi, fructificandi pro plantis etc.; tertio, ex coelestium luminarium motu dies et anni numerari et determinari possunt, accurata enim temporis divisio in horas, dies, hebdomades, menses, annos tam in vita civili, quam religiosa necessariae sunt.

Hisce duplex munus luminarium coelestium exprimitur (v. 14).

Sequens versus tertium exhibet, quod in terra illuminanda consistit idque alternantibus vicibus: alia diebus, alia autem noctibus; unde patet, illuminare terram non esse idem atque dividere diem et noctem; separatione enim lucis a tenebris v. 4° nocti nulla lux erat concessa, nunc vero ipsi nocti luna et stellae lucem affundunt.

Igitur creatio et destinatio corporum coelestium ratione, qua ad terram pertinent atque hominibus apparent, latius narrantur. Qui tamen circumstantias historicas temporis spectat, quo astra loco Dei colebantur, intelligit, cur scriptor sacer accurate enuntiet, astra a Deo esse creata in ministerium hominum.

Quinta dies.

Gen. 1, 20-23.

Secundum schema propositum quinta die incolas suos seu hebraice „exercitum“ accipiunt ordinatae secunda die regiones aërea et liquida, scilicet, — aves et pisces.

Secundum textum hebraicum v. 20us duas sententias completas exhibet, videlicet: „*aqua redundet reptilibus . . . et volatilia volent . . .*“, ita ut altera pars v. 20i distinctam plenamque propositionem efficiat. Vulgata autem verbo יעופף (volent) omisso, alteram propositionem minus recte subordinavit et priori coniunxit ac si verbum Vulgatae „producant“, potius secundum hebraicum textum: „redundet“,

tam ad „reptilia“, quam ad „volatilia“ referretur. Ex male intellecto textu sequeretur opinio, non solum reptilia, sed etiam aves ex aqua producta esse[1]).

Attamen textus primigenius tacet, qua ex materia aquatilia et volatilia formata sint; quinimo textus sacer illi opinioni minime favet; e contrario (Gen. 2, 19) aves de terra directe productae esse dicuntur; similiter ne ipsi quidem pisces ex aqua formati esse, sed tantum in aqua redundare, pullulare asseruntur.

Classificatio aquatilium, sicut priorum operum, non est scientifica, sed popularis, nam illa dividuntur in: a) „belluas marinas grandes“, qua voce designantur generatim animantia maiore corporis mole praedita; b) aquatilia minoris molis.

Huius autem divisionis ratio ex eo repetenda esse videtur, quod prior classis aquatilium magnitudine sua, altera vero numero suo attentionem Hebraeorum excitarunt; praeterea scriptor sacer, diserte nominans aquatilia maiora, prae oculis probabiliter habet mythica monstra marina in cosmogonia babylonica, scilicet, indicare vult, non ipsa per se orta, sed a Deo creata esse.

Deus creatis volatilibus et aquatilibus benedictionem impertitur, cuius vi illa facultatem fecunditatis et propagationis specierum obtinuerunt, Deus enim in Scriptura sacra benedicere praedicatur, quatenus bona non solum optat, sed etiam confert.

Primo hic loci benedictio divina occurrit; antea eiusmodi benedictio expressis verbis non est facta. Quaerunt quidam, cur Deus plantis non benedixerit, et respondent[2]), quia praeposterum erat plantas alloqui, quae ne sonum quidem vocis audire valebant. Haec ratio tamen quaestioni dilucidandae haud sufficiens neque a levitatis nota immunis esse videtur, nam supra Deus allocutus est aquam et aridam (v. 9), quae multo minus quam plantae sonum vocis

---

[1]) Ex recentioribus ita intellexerunt *Cornelius a Lapide, Calmet* et alii (ad h. l.).

[2]) *Dillmann, Hummelauer, Hetzenauer* (ad h. l.).

audire potuerunt. Rectius igitur videtur benedictio plantarum omissa esse, quia illa, seminibus et fructibus commemoratis (v. 11 ss.), sufficienter expressa erat.

Sexta dies.

Gen. 1, 24-31.

Sexta dies, tertiae correspondens, pariter duplex opus complectitur, scilicet, a) productionem animalium terrestrium, b) creationem hominis.

a) Modus creationis animalium ad oculum depingitur, nequaquam autem interna eiusdem ratio indicatur, nam animantia terrestria, quae v. 24° voce Dei de terra produci iubentur, certo eadem sunt, quae Gen. 2, 19 a Deo formata esse dicuntur; igitur iure merito virtute Dei creatrice effecta, non autem ipsa terra quasi matre generante producta esse creduntur; terra itaque hic loci memoratur non ut causa efficiens, haec enim fuit Deus, sed tantum causa materialis seu materia, ex qua animantia producta sunt.

Animalia terrestria a scriptore sacro in tres classes dividuntur in bestias feras, bruta domestica, reptilia terrae.

In descriptione triplicis classis animalium terrestrium hagiographus urget Deum esse auctorem specierum; qua autem ratione Deus has species effecerit et distinxerit, scriptor sacer non exponit; utrum omnes species animalium simul creatae fuerint, an ex paucis tantum, initio productis, reliquae via transformismi prodierint, textus neque affirmat, neque negat; haec omnia manifesto pendent ab illa quaestione, quo sensu hebraica vox מִין (genus, species) accipienda sit, videlicet, utrum omnino fixa et stabilis ac proinde nulli alteri speciei originem dare valens, an vero uti fluxa et mutabilis, ita ut ex una primigenia specie per continuam mutationem decursu temporis multae aliae prodire potuerint. Quaestio est certe gravis, attamen cum scientifica potius sit, quam religiosa, idcirco a Deo s. Scripturae pri-

mario auctore silentio praetermittitur humanaeque disputationi relinquitur.

Profecto hic loci sermo est de solis illis speciebus, quae tempore primi hominis exstiterant, nam species praehistoricas scriptor sacer non attingit, doctrinam enim religiosam de creatione mundi tradere in animo habuit, non autem palaeontologiam docere.

Critici absentiam benedictionis pro animalibus animadverterunt; si tamen consideramus, productionem eorum cum creatione hominis unum opus sextae diei esse, benedictionem homini impertitam (v. 28) etiam ad animalia terrestria extendere possumus[1]).

Ratio divisionis animalium terrestrium in triplicem classem ex mole eorum et ex usu in vita repetenda est.

Sicut ergo classificatio operum quintae diei, ita etiam animalium sexta die creatorum popularis est.

b) Mundo creato, regionibus distinctis iisque „exercitu“ convenienti repletis, veluti divini opificii corona, tandem homo creatur, animalibus multo superior, medius inter Deum et mundum. Dignitas hominis, qua ceteris creaturis praestat, legenti statim apparet: ceteras enim creaturas Deus produxit, simpliciter dicens: *fiat lux* (1, 3), *congregentur aquae* (1, 9), *germinet terra* (1, 11), *fiant luminaria* (1, 14), *redundent aquae* (1, 20), *producat terra substantias viventes* (1, 24); hominis autem creatio incipit solemni prooemio et tota descriptio ab aliis operibus singulari forma differt:

Deus creavit hominem α) ad imaginem et similitudinem suam atque β) praesidem terrae ac animalium eum constituit.

α) Hagiographus descriptionem incipit hoc modo: „*Facere volumus homines ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram*“ (1, 26)[2]). Praedicatum in plurali: „*facere volumus*“ ad subiectum in singulari numero (Deus) critici vario modo explicant:

---

[1]) *Hetzenauer*, Commentarius in Genesim, p. 17.

[1]) Secundum hebraicum textum.

Philo Deum ad angelos loqui putavit[1]).

Attamen versu sequenti Deus, non angeli creasse dicitur, et quidem ad imaginem suam, ad imaginem Dei, non autem angelorum; insuper Gen. 2, 7; 5, 1 ss. Deus Adam et Evam immediate formasse narratur; ceterum angeli nondum nominati sunt.

Patres explanaverunt Deum ipsum esse illud subiectum et quidem in verbo: „*faciamus*“ contineri unius divinae personae ad aliam vel alias alloquium, sive accuratius omnium ad omnes, cum decretum hominis creandi omnibus tribus divinis personis sit commune. In controversiis de divinis personis, maxime contra Arianos institutis, id non paucis patribus visum est[2]).

Quod quidem theologice certissimum est nec quisquam id negare valet; attamen altera ex parte, cum interpretis sit, non theologicam sententiam e textu deducere, sed praeprimis sensum obvium, litteralem iuxta regulas hermeneuticae eruere ac proponere, proinde recentiores exegetae, etiam catholici, putant, scriptorem Geneseos, cum monotheismo addictissimus sit, de distinctione divinarum personarum Hebraeos ad polytheismum pronos nequaquam docere voluisse; quapropter verbum „*faciamus*“ non in sensu alloquii, sed in sensu soliloquii Dei ad seipsum exponunt; quae opinio eo magis retineri potest, quod huiusmodi soliloquia Dei et alibi in ss. Litteris non deficiunt, v. g. Gen. 6, 7. Ipsam pluralem formam verbi exegetae vario modo exponunt:

Nonnulli, uti Gunkel[3]), Holzinger[4]) vestigia polytheisticae cosmogoniae gentium deprehendunt[5]).

Alii, v. g. Reinke[6]), Knobel[7]), Umbreit[8]), plurale maiesta-

---

[1]) De mundi opificio, 24.

[2]) *Epiphanius, Cyrillus Hierosol., Ambrosius, Irenaeus, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alex.* et alii, cf. apud *Hummelauer,* Op. l., p. 107.

[3]) Genesis, p. 111.

[4]) Genesis, p. 10.

[5]) cfr responsum infra.

[6]) Beiträge V p. 77 ss.

[7]) cf. *Hummelauer,* Op. l. p. 108.

[8]) Theol. studien und Kritiken 1839 I, 200. Ibidem.

tis inesse asserunt, sed haec opinio vix probari potest, nam plurale maiestaticum in antiquioribus Libris ss. non occurrit, quod valde probabiliter tantum posteriore tempore a Persis et Graecis introductum est: 1 Ezdr. 4, 18; 1 Mach. 10, 19; 11, 31; 15, 19.

Omnibus praeferenda videtur sententia, quae tenet, hic loci esse solemnem cohortativum, qui interdum in plurali ponitur, licet subiectum sit in singulari, v. g. Cant. 1, 10 sponsus solus sponsam alloquitur: „*Muraenulas aureas faciemus tibi*“ [1]).

Itaque Deus ad hominem creandum semet exhortans cogitandus est et solemnis expressio נעשה (volumus facere, faciamus) secundum sensum non differt ab אעשה (faciam).

Sequitur vox אדם [2]) „*homines*“, quae non est nomen proprium primi parentis, sed nomen speciei. Singularis numerus אדם est collective adhibitus, quod ex sequenti verbo „praesint“ in plurali patet et secundum indolem linguae hebraicae verti potest „homines“.

Totum genus humanum in duplici sexu divisum causam existentiae a Deo habere indicatur, unde etiam immediate v. 27° additur: „*masculum et feminam creavit eos*“. Etymologia vocis non est certa: secundum Buhl, Fürst אדם cum אדמה (humus, terra) cohaeret ita, ut Adam idem sit ac terrenus vel ex humo formatus.

Porro dicitur: בצלמנו כדמותנו „*ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram.*“ —

Nonnulli recentiores interpretes, v. g. Flunk [3]), Hummelauer [4]) hic loci figuram *ἓν διὰ δυοῖν* adesse censent, ita ut sensus sit: ad imaginem simillimam. Sed cum in textu hebraico duae voces diversis etiam praepositionibus distinctae ponantur, ideo ii critici hanc expressionem rectius explicare videntur, qui duos hic conceptus distinguunt, imaginis videlicet et similitudinis.

---

[1]) *Zapletal*, Der Schöpfungsbericht^{2}, p. 47; Das Hohelied, p. 74.
[2]) sine articulo.
[3]) Expositio in Genesim fasc. I, p. 62.
[4]) Op. l., p. 109.

Vox צלם imago, plasticam rei, personae aut etiam divinitatis repraesentationem seu effigiem significat, cf. 1 Sam. 6, 5; 4 Reg. 11, 18. Vox vero דמות designat conceptum abstractum similitudinis, quae inter duas res vel personas intercedere deprehenditur. Unde Hoberg illam expressionem recte reddidit: ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram[1]). Quibus verbis hic sensus inest: homo ita est creatus, ut Dei imago fieret, utpote habens insitam naturae suae similitudinem cum Deo. Similitudo igitur cum Deo efficit, ut homo sit Dei imago.

Maioris claritatis gratia exemplum imaginis humanae in panno pictae rem illustrat. Alia res est ipse homo, alia pannus, illius hominis figuram in se expressam continens. Nihilominus colores ab artifice apte dispositi efficiunt, ut nobis cernentibus illa effigies picta similis homini, quem exhibet, videatur. Ob hanc similitudinem pannus dicitur imago illius hominis.

Simili modo, licet aliud sit Deus, aliud homo, attamen ob quandam similitudinem inter Deum et hominem, homo est vere imago Dei.

Secundum communiorem sententiam interpretum catholicorum sermo est non de supernaturali imagine Dei in homine, quae consistebat in donis gratiae originalis, quibus homo ante peccatum originale praeditus erat, sed de imagine naturali.

In quonam autem haec imago consistat, diversae opiniones patrum et catholicorum interpretum dantur[2]):

aa) Alii eam in corpore hominis invenire student; quam sententiam Origenes[3]) Melitoni Sardensi attribuit; hanc anthropomorphistae IV-V saeculis post Christum natum propter animum suum, nulla doctrina excultum, propugnabant. Nonnulli recentes critici aliam ob causam eam pariter te-

---

[1]) „Nach unserem Bilde gemäss unserer Aehnlichkeit“, Op. l., p 20.

[2]) Cf. *Zapletal*, Der Schöpfungsbericht², pp 47-60; *Hummelauer*, Op. l. pp. 109-110.

[3]) *Migne* P. G. 12, 93.

nent, v. g. Lagarde[1]), Gunkel[2]), Nestle[3]) aliique. Ita Gunkel Gen. 1, 26 s. crassum anthropomorphismum, quem fonti Gen. 1 assignet, inesse asserit. Secundum opinionem Gunkel sensum divinae imaginis in homine ex continuatione narrationis de creatione in Cod. Sac. scilicet, ex Gen. 5, 1-3 apparere: primum hominem ad similitudinem Dei esse creatum; filium autem Adami Seth „*ad imaginem et similitudinem*" patris esse progenitum, nempe Seth externa specie patri suo Adamo esse similem; per consequens primum hominem eodem modo Deo esse similem. Similitudinem hominis cum Deo esse in corpore, Genesi 9, 6 confirmari: quicunque hominem occiderit, Dei imaginem in homine ab illo invadi; inde similitudinem cum Deo maxime ad corpus referri, quamquam etiam spirituale non sit exclusum. Rem graeca et romana traditione comprobari: hominem „in effigiem moderantium cuncta deorum"[4]) esse formatum. Ad obiectionem modernorum criticorum praevisam — Deum non esse effigiem, utpote Spiritum (Io. 4, 24), Gunkel respondet, ideam spiritualis Dei indigere immani abstractione, Veteri Testamento non pervia, ubi antiqui Israelitae loquantur de Dei effigie, auribus, manibus, pedibus, lingua, ore, de deambulatione in paradiso et sic porro.

Attamen Gunkel in corpore hominis similitudinem cum Deo immerito statuit, nam 1) si dicitur Adam ad imaginem suam filium peperisse (Gen. 5, 1-3), ibi potissimum indicatur, ens rationale esse genitum; 2) porro si Gen. 9, 6 homicidium prohibet eo, quod homo ad imaginem Dei creatus est, in eo item rationalis natura nequaquam excluditur, sed e contrario haec inculcatur, Israelitae enim animam humanam intime cum corpore cohaerere putabant ita, ut impetus in involucrum animae factus, agressus in totum hominem fieret; 3) tum notio Graecorum et Romanorum, erectam homi-

---

[1]) Uebersicht über die Aramäischen, Arabischen und Hebräischen üblichen Bildungen der Nomina, Göttingen 1889, p. 12.

[2]) Genesis[3], p. 112.

[3]) Marginalien und Materialien, Tübingen 1893, p. 3 s.

[4]) *Ovidius*, Metamorphoses, lib. 1 v. 83.

nis figuram constituere essentiam similitudinis cum diis, sensum Gen. 1, 26 eruendum nequaquam adiuvat; ad summum ideam Dei materialem exhibet; 4) denique anthropomorphismi in Veteri Testamento non ita intelligendi sunt ac si Deus pedes, manus haberet, sed illis locis occurrunt solummodo vividae imagines ad activitatem divinam plastice proponendam, secus Deum Israelitarum volucris speciem habere cum Origene [1]) concludendum esset, nam ps. 90, 4 (hebr. 91, 4) dicitur: „*Sub penna ipsius teget te et sub alis eius confugies*".

bb) Alii similitudinem hominis cum Deo in dominio illius supra cetera animantia terrae esse affirmant. Ita ex Patribus v. g. Gregorius Nyssenus [2]), Ioannes Chrysostomus [3]), ex recentioribus criticis, v. g. Holzinger [4]), etiam Gunkel [5]) existimant.

Attamen ex contextu Gen. 1 homo iam post creationem vi peculiaris benedictionis divinae dominium in animantia obtinet (1, 28), proinde illud dominium est potius sequela similitudinis cum Deo, non autem essentia eius.

cc) Nonnulli interpretes hanc imaginem in libero arbitrio quaerunt, v. g. Macarius [6]), s. Ambrosius [7]) (etiam in intellectu), s. Ioannes Damascenus [8]); alii in immortalitate animae, v. g. s. Augustinus [9]) (sed non in sola), alii vero in dispositione hominis ad religionem esse autumant, v. g. ex recentibus W. Riedel [10]).

Attamen haec omnia pariter effectus dumtaxat similitudinis cum Deo considerari debent.

dd) Rectior esse videtur opinio eorum, qui imaginem Dei

---

[1]) Ibidem P. G. 12, 93.
[2]) P. G. 44, 136 ss.
[3]) P. G. 53, 72. 78.
[4]) Genesis, p. 12.
[5]) Genesis³, p. 103.
[6]) Homil. 15, 23: P. G. 34,591.
[7]) Hexaemeron 6, 8: P. L. 14,275.
[8]) De fide 11, 2: P. G. 94, 920.
[9]) De Trinitale 14,4: P. L. 42, 1040.
[10]) Alttestamentliche Untersuchungen, Leipzig 1902, I p. 42.

in rationali natura[1]) hominis inveniri censent: homo enim est Deo similis eo, quod ratione praeditus est, qua ab omnibus aliis creaturis differt; nec plantae, nec animalia ad imaginem Dei creata esse dicuntur, sed solus homo, cui haec appellatio „ad imaginem Dei“ propter singularem praestantiam, quae homini prae aliis creaturis inest, tribuitur; praestantia autem eiusdem in natura rationali consistit. Hanc imaginem in natura rationali esse, pariter theologi tenent, speciminis gratia s. Thomas Aquinas laudandus est[2]).

β) Homo creatus ut ens rationale, praeficitur nunc regno animali (v. 26 b).

In opere quartae diei versibus 16° et 18° luminaria pariter „praeesse“ dicuntur; ibi tamen positum erat verbum מָשַׁל, dum hic loci verbum רָדָה adhibetur, quod proprie: pedibus calcare, significat. Homo igitur maiore quadam vi et pleniore modo, quam illa praeesse asseritur; dominatur autem homo in animalia eo, quod ad commodum et finem suum libere eis utitur, quamquam plura eorum et mole, et robore, et velocitate hominem multo superant. Quod domi-

---

[1]) *Zapletal*. Op. l., p. 48; *Kirchner*, Op. l., p. 18.

[2]) „Non quaelibet similitudo, etiamsi sit expressa ex altero, sufficit ad rationem imaginis; si enim similitudo sit secundum genus tantum, vel secundum aliquod accidens commune, non propter hoc dicetur aliquid esse ad imaginem alterius. Non enim posset dici, quod vermis, qui oritur ex homine, sit imago hominis, propter similitudinem generis. Neque iterum potest dici, quod si aliquid fiat album ad similitudinem alterius, propter hoc sit ad eius imaginem quia album est accidens commune pluribus speciebus. Requiritur autem ad rationem imaginis, quod sit similitudo secundum speciem, sicut imago regis est in filio suo; vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei et praecipue secundum figuram sicut hominis imago dicitur esse in cupro . . . . . Manifestum est autem, quod similitudo speciei attenditur secundum ultimam differentiam. Assimilantur autem aliqua Deo, primo quidem, et maxime communiter, in quantum sunt; secundo, in quantum vivunt; tertio vero, in quantum sapiunt vel intelligunt . . . . . Sic ergo patet, quod solae intellectuales creaturae, proprie loquendo, sunt ad imaginem Dei.“ (Summa theologica I q. 93 a. 2 c.)

nium super animantia homini competit non alia ex ratione, nisi vi divinae imaginis, quae ipsi inest; quae potestas, propter peccatum partim extenuata, in statu naturae innocentiae fuit perfecta.

Hagiographus triplicem classem, uti obiectum dominii humani enumeravit: aquatilia, volatilia, terrestria, quae ultima in bruta domestica, feras bestias, reptilia subdistinxit. Hic loci textus est corruptus, nam praeter principatum in animantia etiam de dominio in universam terram „*universaeque terrae*“, homini concesso est sermo, quod nequaquam mediis classibus animalium insertum esset; ergo textus primigenius non de universa terra agebat; sed de tertia specie animalium terrestrium seu vox חית ante הארץ excidit, quam versio syriaca conservavit. Plena igitur expressio sonat: „et in omnes bestias (feras) terrae“, qua correctione idea completa animalium terrestrium cum triplici specie obtinetur.

In descriptione creationis hominis (v. 27) hagiographus verbo ברא utitur, quo creationem hominis, tamquam immediatam productionem a Deo exhibet. Quod verbum ter repetit et quidem parallelismo synonymo bis affirmat, hominem esse imaginem divinam, ut dignitatem eius statuat, qua ceteris creaturis praestat[1]); tum adiungit homines in sexu masculino et feminino formatos esse, ut modum propagationis significet. Quomodo Deus homines creaverit, hic loci non dicitur, nam primo capite l. Genesis hagiographus tradit doctrinam de creatione universitatis rerum, cuius homo est solummodo pars. Fusius et accuratius modum creationis hominum secundo capite eiusdem libri exponit.

Porro homini creato Deus benedictionem contulit, cuius duplex effectus indicatur (v. 28): primo, multiplicatio generis humani, ita ut terram repleant; secundo, dominium super terram et omnia animalia.

Veteres doctores Hebraeorum ex modo imperativo „*fecundi estote* . . .“ (hebr. text.) praeceptum omnibus hominibus impositum matrimonii contrahendi deducunt; pariter

---

[1]) *Hoberg*, *Hetzenauer*, Op. c., ad h. v.

veteres protestantes hunc locum adducunt contra catholicos, ac si illo votum religiosum perpetuae castitatis prohiberetur[1]).

Attamen animadvertendum est, eiusmodi praeceptum non singula individua speciei, sed in genere speciem humanam per protoparentes repraesentatam respicere; ratio enim, quae olim primos homines ad contrahendum connubium cogebat, hodie singulos homines non urget; praeterea ideam ac iura matrimonii et virginitatis petere simul debemus ex ore Christi: Mt. 19 et 1 Cor. 7.

Bellarminus[2]) iam olim his fere animadversionibus bene respondit: primo, verba Gen. 1, 28 non sonare aliquod praeceptum, sed nudam naturae institutionem, nam idem dicitur v. 22° brutis, quae praecepti non sunt capacia; secundo, quodsi supponamus agi hic de praecepto, hoc praeceptum tamen esset affirmativum, neque obligaret nisi in necessitatis casu, qualis fuit in generis humani initiis et mox a diluvio.

Postea (v. 29) scriptor sacer relationem hominis ad regnum vegetale tradit, scilicet, Deus dat illud hominibus in cibum. In textu sacro commemorantur tantum herbae semina afferentes et arbores fructiferae forsitan ideo, quia haec sola si adsunt, ad vitam sustentandam sufficiunt; quo sub respectu textus Genesis similis esse videtur textui „Orationis Dominicae“, in qua sermo est de solo pane, nulla vero mentio fit de carne. Opinio quorundam interpretum (v. g. Procopi, Ruperti) homini primaevo esum carnium a Deo interdictum fuisse, omnino gratuita dicenda est, nam in paradiso unicum tantum praeceptum datum est: Gen. 2, 17. Contrarium innuunt vestes pelliceae, quibus primi homines utebantur. Praeterea Abel fuit pastor ovium et de primogenitis gregis sui Deo victimas obtulit (Gen. 4, 2-4). Insuper distinctio animalium in munda et immunda (Gen. 7, 2), cuius mentio fit ante diluvium, docet alia concessa, alia prohibita fuisse.

---

[1]) Cfr *Flunk*, Expositio in Genesim, II, p 67.

[2]) Ad hunc versum.

Cum in cosmogonia nondum fuerit mentio de relatione hominis ad regnum vegetale, scriptor sacer Gen. 1, 29-30 diserte adnotat, illud in cibum assignatum esse. Homini igitur (v. 29°) tribuuntur eaedem duae plantarum classes in cibum, quas versus 11 ss. distinguebant videlicet, fruges et fructus.

Versu sequenti (30) animalibus eadem esca assignatur, cum hoc tantum discrimine, quod his herbae virides hebraice ירק, quam expressionem Vulgata immerito omisit, quaeque in omnibus aliis textibus invenitur, ita ut homini potius grana et fructus earundem plantarum, animalibus autem herbae et folia uti esca attribuuntur. Itaque hisce provisio communis seu relatio plantarum ad animalia, generalissime spectata, non autem lex ciborum exhibetur. Inde textus sacer non affirmat, primitus nulla prorsus animalia carnivora exstitisse; per lapsum enim hominis natura animalium nequaquam mutationem subiit.

Descriptio diei sextae terminatur laudatione communi et formula finali. Laudatio v. 31[1] proxime alterum opus respicit, cum ante formulam finalem: „*Et facta est vespera*...“ inseratur, neque mundus visibilis, homine excluso, valde bonus dici potest seu ideae Dei perfecte respondet. Sed laudationem non solum ad hoc opus pertinere, manifestat expressio: „*cuncta quae fecerat*“; remote igitur laudatio respicit universitatem rerum creatarum, quam nihil deficit, quae nihil superfluum habet, nullam additionem desiderat.

3. Septima dies.

Gen. 2, 1-3.

Septima dies opus completionis exhibet. Si primum opus Gen. 1, 1-2, quo mundus ad existentiam vocatus est, opus divinae potentiae constituit; alterum Gen. 1, 3-31, quo creata ad ordinem et perfectionem pervenerunt, opus divinae sapientiae appellatur; ita tertium, Gen. 2, 1-3 apte dici potest opus divinae bonitatis, quae creata et ordinata conservat,

ne in nihilum, ex quo prodierant, revertantur. Opere completionis, veluti quadam coronide tota historia opificii divini concluditur.

Opus completionis seu septima dies tribus prioribus versibus capitis secundi Gen. comprehenditur, quorum primus clavem ad hexaëmeron intelligendum constituit[1]), quique opera hexaëmeri breviter resumit; 2[us] eorundem auctorem et durationem repetit; 3[us] diem septimam sanctificatam seu sabbatum narrat.

Hagiographus incipit: „*Igitur coeli et terra perfecti sunt et omnis exercitus eorum*“ Gen. 2, 1; צבא exercitus, iunctum cum שמים in scriptura s. exercitum coeli designat, i. e. angelos et astra. Cum tamen hic versus cosmogoniam resumat, in qua de angelis nihil dicebatur, hic loci „exercitus“ sola astra complectitur. Praeterea „exercitus eorum“ hoc versu etiam ad terram relatum, homines et animalia comprehendit. Septuaginta interpretes minus recte reddiderunt: „κόσμος, Vulgata post LXX: „ornatus“ i. e. non vocem hebraicam, sed sensum tantum expresserunt[2]).

Porro (v. 2°) cum scriptor sacer opificium divinum anthropomorphice narrasset, opere completo, die septima Deum exhibet quiescentem. Deus non quasi fatigatus ex labore se refecit, sed quatenus nova genera novasque species amplius non formavit (s. Augustinus). Illa itaque „quies non indicat defatigationem, sed solam operis cessationem“ (Bonfrerius).

Tandem v. 3° discimus, diem septimam sanctificatam esse: Deus, benedicendo diei septimae, sanctitatem ei contulit eam uti sanctam declarando; in quonam autem sanctitas consistat, statim indicatur: in eo, videlicet, quod Deus nil novi illa die creavit. Exinde conclusio practica sequitur: sicut homo est imago Dei, ita etiam operatio hominis debet esse imago operationis divinae et quies humana — imago quietis divinae. Igitur dies septima sanctificata est non quidem

---

[1]) Cf. supra p. 19.
[2]) Cf. pag. 19-20.

in se, uti certum temporis intervallum, sed relate ad hominem, in quantum haec sanctificatio homini profutura esset.

Ex hucusque dictis sensus יום — „diei“ in cosmogonia biblica patet:

a) Hagiographus enarrans, a Deo esse creatum mundum omniaque opera, quorum praecipua historico-populari modo enumeravit, haec omnia septem diebus comprehendit, nam a Deo peculiari modo illustratus hisce legalis hebdomadis typum praestare intendit. Ille animis lectorum imprimere conatur, hebdomadem creationis esse exemplar, quomodo hebdomas dierum instituenda sit atque sanctificatione diei septimae septimam hebdomadis diem seu sabbatum observandum summopere commendat. Exinde sequitur, dies cosmogoniae biblicae, intentione scriptoris, esse naturales seu viginti quatuor horis constare.

b) Quam conculusionem confirmat religiosus scopus, quem scriptor sacer in tota cosmogonia prosequitur, nempe contra falsas ideas gentium de mundo Israelitas edocet et praemonet, non autem palaeontologiam scrutatur.

c) Idem suadet ordo cosmogoniae biblicae legibus physicis non stricte munitus, sed logicus, prout v. g. productio regionum et exercituum convenientium, divisio rerum creatarum ex externa observatione desumpta, descriptio, prout ubique adnotavimus, indole non stricte scientifica, sed historico-populari.

d) Denique diem esse naturalem, usus loquendi monet, nam יום Gen. 1 unum mane et unam vesperam complectitur, ad periodum autem denotandam Hebraei vocem עולם habebant, v. g. Eccle. 1, 10; Ps. 77, 6; Is. 51, 9; mane-vespera vero in Scriptura sacra initium et finem diei significare solent. Equidem absolute non excluditur, vocem יום apud Israelitas longius spatium temporis die naturali designare, sed textus: Gen. 2, 4; 3, 5; Is. 49, 8; Ez. 7, 7, quibus fautores periodorum in Gen. 1 opinionem suam muniunt, indicant solummodo, יום fuisse pariter in usu ad longius tempus, quam dies naturalis vel ad tempus in genere denotandum, minime autem periodorum geologicarum sensu proprio;

quo in casu expressio „*Et facta est vespera, et factum est mane*“ contra communem usum loquendi unius periodi finis et alterius initium exponenda esset.

Quae cum ita sint, inter recentes interpretes iure merito opinio magis magisque praevalet, dies Gen. 1 non esse longas periodos in mundi evolutione, sed naturales viginti quatuor horarum.

B. Cosmogonia babylonica.

Momentum historicum cosmogoniae biblicae rite aestimatur, comparatione instituta cum cosmogoniis gentium vicinarum Hebraeis; ex cosmogoniis gentilibus maximi momenti est babylonica, quae primo loco theoriae de extraiudaica origine cosmogoniae biblicae originem dedit. Proinde argumentum eiusdem diligenter examinetur oportet.

1) Secundum Berosum.

Cosmogonia babylonica usque ad tempus, quo documenta cuneiformia effossa sunt, per duo tantum recentia testimonia graeca nota erat, scilicet, per traditionem Berosi et Damascii.

Berosus, sacerdos Beli, vixit ss. IV-III ante Christum natum; scripsit pretiosam Historiam chaldaicam tribus libris constantem, quam Antiocho II (260-247 a. Chr. n.) dedicavit. Opus eius periit, excerpta tamen inveniuntur apud Alexandrum Polyhistorem [1]), quem citat Eusebius [2]).

Eusebius in opere laudato scripsit: „Tempus, inquit, (sc. Berosus) aliquando fuit, cum universus orbis tenebris

---

[1]) Vixit tempore Sullae.

[2]) Chronicorum lib. I, cap. 2, 4-6.

et aquis occupabatur; erantque ibi et aliae belluae, quarum quaedam ex se ipsis ortae erant, figuris tamen utebantur nascentium ex antea viventibus. Erant et homines, partim quidem duabus, partim quaternis alis instructi duabusque faciebus; et corpore in uno geminum caput habentes muliebre videlicet et virile, cum duobus item genitalibus femineo et masculino. Erant et alii homines caprinis femoribus, capite cornigero; alii rursus equinis pedibus; alii denique posteriore parte equina, anteriore autem humana, cuiusmodi hippocentauris figura est. Tauros quoque humanis cum capitibus procreatos esse ait: et canes cum quadruplici corpore, quibus caudae ad instar piscium e clunibus proeminerent: equos praeterea cynocephalos; et homines aliasque belluas hippocephalas et humana forma cum piscium caudis; alia insuper multiplicia animalia draconum formam referentia; denique pisces sirenibus similes, et reptilia et serpentes aliasque feras, mira varietate inter se differentes, quarum imagines accurate depictae in Beli fano asservabantur. Porro iis omnibus dominatam esse mulierem quandam, cui nomen Ὀμορῶκα: eamque Chaldaeorum lingua dici Thalatth, graece vero converti *θάλασσαν*.

Cumque ea omnia ante mista fuissent, supervenientem ait Belum medium dissecavisse mulierem, ex eiusque dimidio altero terram, ex altero coelum fecisse, universis, quae in ipsa erant, belluis internecione deletis. Ait autem, de harum rerum naturis allegorice sic fuisse dictum: nimirum quo tempore humidum et aqua omnia tenebant, nihilque ibi praeter belluas erat, idolum illud caput suum praecidisse sanguinemque inde manantem humo ab aliis idolis esse commistum, et sic homines procreatos: quos idcirco et intellectu praeditos esse et divinae mentis participes.

Age vero Belum aiunt, . . . scissis tenebris terram a coelo separavisse, pulchreque mundum disposuisse: belluas autem non sustinentes lucis vim exanimatas esse. Tunc Belum, qui regionem desertam, attamen feracem, cerneret, cuidam

---

[1]) Potius *Θαμτέ*, cf. *R. Smith*, Zeitschrift für Assyriologie VI, 339.

e diis imperavisse, ut cum sanguine, qui e suo capite abscisso deflueret, terram subigeret atque homines fingeret, cum caeteris brutis et belluis, quae hunc aerem pati possent. Belum item stellas et solem et lunam et quinque sidera errantia condidisse. Haec, Polyhistore teste, Berosus primo libro narrat"[1]).

Quae relatio cosmogonica, nobis solummodo a tertia manu tradita, in statu sat corrupto conservata est. Diffuse describit tantum monstra, chaos et creationem hominis. Aliis vero, ut descriptione originis lucis, deorum, terrae ac vegetalium, quae secundum opinionem Gunkel[2]), priore tempore certe aderant, omnino caret.

Cosmogonia secundum Berosum ideas principales, quae sequuntur, exhibet:

a) initio tantum chaos lucis expers sub specie aquae et tenebrarum existebat;

b) in chaos diversa monstra orta sunt;

c) in chaos dominabatur immanis mulier nomine Omoroca, cum babylonica Tiamat identica, qua in cosmogonia cuneiformi chaos personificatur;

d) Bel dominam chaos in duas partes dissecat, ex altera parte terram, ex altĕra coelum facit; monstra in chaos pereunt; mundus igitur ex pugna inter deum lucis Bel et dominam chaos oritur;

e) ex sanguine Beli, cum humo mixto, quidam deorum, homines et animalia format;

f) Bel tandem stellas, solem, lunam, quinquae planetas facit.

2) Fragmentum Damascii.

Aliam brevissimam narrationem secundum ideas babylonicas conservavit Damascius, qui saeculo sexto post Christum natum vixit:

Inter barbaros, ait Damascius, Babylonii unicum funda-

---

[1]) *Migne*, P. G. 19, 110-112.

[2]) Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit, p. 20.

mentum primigenium omnium rerum silentio praeterire videntur ac statuunt potius duo principia *Ταυθέ* et *Ἀπασών*, intelligentes Apason prout maritum Taute, hanc vero matrem deorum nominant. Hi duo concipiunt *Μωυμῖς* unicum filium, quem ego intelligibilem mundum esse puto, qui utique ex ambobus principiis originem sumit. Ex hisce adhuc altera generatio *Δαχή* et *Δαχός* originem ducit. Ex hoc vero pari postea tertium *Κισσαρή* et *Ἀσσωρός*, a quibus ulterius tres geniti sunt: *Ἀνός*, *Ἴλλινος* et *Ἀός*. Filius *Ἀός* et *Δαυκή* fuit *Βῆλος*, qui — ut aiunt — creator mundi erat[1]).

Ad has phrases rite intelligendas animadvertendum est, Damascium, philosophum neoplatonicum fuisse. Plotinus, praecipuus neoplatonismi patronus, supremam causam mundi visibilis unum numen esse asseruit. (*τὸ ἕν*, *τὸ ἀγαθόν*, *τὸ πρῶτον*, *ὁ πρῶτος θεός*); a quo secundum systema neoplatonicum originem ducit supremus *νοῦς*, perfecta, sed non adaequata imago divinitatis. *Νοῦς*, ille mundus intelligibilis Platonis, ideas immanentes comprehendit et supremam imaginem visibilis mundi exhibet.

Etsi Plotinus in creatione mundi emanatismo directe non indulgebat, posteriores tamen neoplatonici formationem mundi per emanationem a supremo ad infimum explicabant. Damascius vero etiam in primam causam omnium rerum (*τὴν μίαν τῶν ὅλων ἀρχήν*), analogice cum mundo intelligibili (*κόσμος νοητός*) inquirit, ita ut deos in cosmogonia per emanationem ad invicem genealogice statuat.

Nomina illa occurrunt in cosmogonia cuneiformi, quae sequitur: *Ταυθέ* est Tiamat (abyssus); *Ἀπασών* — Apsu (oceanus); *Μωυμῖς* cognomen Tiamat esse videtur (Mummu). *Δαχή* et *Δαχός* sunt corrupta nomina: Lachmu et Lachamu (monstra marina); *Κισσαρή* et *Ἀσσωρός* sunt Kišar et Anšar (mundum coelestem et terrestrem exprimunt); *Ἀνός* — Anu (deus coeli), *Ἴλλινος* — Illil (deus habitantium), *Ἀός* — Ea (deus oceani, patronus sapientiae, magorum, sacerdatum); denique *Βῆλος* — Marduk (patronus Babylonis).

---

[1]) *Damascii* phil., Quaestiones de primis principiis, ed Kopp, c. 125. 384.

Ex hisce patet, fragmentum Damascii potius theogoniam, quam cosmogoniam exhibere.

In comparatione utriusque narrationis primo obtutu videtur nil commune, nullus nexus inter utramque interesse, Berosus enim originem mundi et entium in eo viventium describit, Damascius autem theogoniam proponit; Berosus de pugna Bel cum Tiamat narrat, apud Damascium autem nullum vestigium huiusmodi habetur.

Sed inde non excluditur, ambos scriptores ex uno fonte hausisse, nempe, Damascium sumpsisse id, quod ei ut philosopho conveniret, Berosum vero omnium punctorum babylonicae cosmogoniae aequabiliter rationem habuisse.

Praeterea argumentum secundum Berosum et Damascium primo obtutu sibi contradicere videtur: secundum Berosum, videlicet, in chaos originarium et monstra ibi praesentia substantia primigenia Thamte dominabatur; deinde creator mundi Bel nominatur; nihil autem de eius genealogica relatione ad Thamte indicatur. E contrario Damascius duo principia initio formationis: Tauthe et Apason statuit, a quibus totam seriem deorum, etiam Belum deducit.

Attamen hoc discrimen inde explicatur, quod uterque scriptor alium finem prae oculis habuit: Berosus, scilicet, originem coeli et terrae, animalium et hominum describere intendit, quapropter ex numero deorum tantum creatorem mundi Belum, insuper primum principium Thamte, cuius ex corpore mundus formatus est, nominat; Damascius autem relationes numinum ad invicem respicit, exinde omnium deorum, qui praesto erant, mentionem facit et in genealogica relatione eos constituit. Poema cuneiforme ad discrepantias, primo obtutu inter utramque occurrentes, clavem praestat. In substantia ambae narrationes concordant: utraque babylonicum numen Bel — mundi creatorem assignat et quidem Berosus, eius activitatem in creatione coeli et terrae in specie describens, Damascius vero eum *δημιουργόν* nominans[1]).

---

[1]) *Nikel*, Genesis und Keilschriftforschung. p. p. 30-31.

3) Narratio cuneiformis.

Fragmenta Berosi et Damascii accurate confirmata sunt per documentum cuneiforme in antiqua Assyria, in ruinis urbis Ninivae inventum [1]) et hodie Londini in museo Britannico conservatum. Carmen origine babylonica, cuneiformi scriptura exaratum, ab assyriacis amanuensibus transscriptum et in bibliotheca regis Ašurbanipalis collocatum erat. Poema incipit verbis: „Enuma eliš . . .“ — „Cum coeli sursum nondum nominarentur“, a quibus analogice cum hebraicis nominibus Librorum Pentateuchi titulum suum accepit. Cum novis fragmentis effossis totum opus typis impressit atque commentario ornavit inter primos sermone anglo L. W. King [2]) 1902 anno.

Quod originem spectat, ipsum carmen „Enuma eliš“ est multo antiquius, quam tempus regis Ašurbanipalis.

Politica indoles mythi babylonici aetatem compositionis eius innuit:

Marduk poematis iunior inter deos, tum demum potentissimus ac supremus universi moderator agnitus est, cum urbs Babylon, cuius ille protector erat et in qua templum suum „*Esagila*“ habebat, principatum omnium aliarum urbium necnon regnorum Chaldaeae adepta esset.

Quod tempore Hammurabi regis factum est, scilicet, circiter vigesimo primo saeculo ante Christum. Itaque mythus hodierna forma ad aevum Hammurabi pertinet, substantia autem poematis est multo antiquior, nam v. g. Urnina, rex urbis Lagaš (in meridionali Chaldaea), qui circiter tria mi-

---

[1]) Cf. p. 12.

[2]) *King,* The seven Tablets of Creatiôn, London 1902; Mentione dignae sunt versiones et explicationes narrationis cuneiformis, quae sequuntur: Catholicorum scriptorum: *Dhorme,* op. c., pp. 1-81; *Vigouroux,* La Bible et les découvertes modernes[6], I pp. 218-236; Acatholicorum: *H. Zimmern,* in op. Gunkel: Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit, pp. 401-417; *P. Jensen,* Keilinschriftliche Bibliothek t. VI pp. 2 ss.; *Gressmann,* Altorientalische Texte und Bilder zum alten Testamente, I pp. 1-25 et aliae.

lia annorum ante Christum vixerat, mentionem facit „Apsu“ [1]) in templo collocati. Singulae ideae mythi in legendis Sumeriensium, antiquissimorum Chaldaeae incolarum inveniuntur.

Mythus „Enuma eliš“ in septem tabellis fictilibus exaratus est, quarum argumentum est, quod sequitur [2]):

Prima tabella.

Ante coelum sursum et terram deorsum creata, ante ipsos deos existebant iam mythicae substantiae: masculina — Apsu (oceanus) et feminina — Tiamat (mare originarium); praeter illa aderat tertia: Mummu, qui modo uti famulus Apsu, modo uti eiusdem filius apparet.

Aquae eorum invicem permiscebantur (personificatio chaos). Ex illis substantiis originariis nunc dii procedunt, nimirum prima generatio: Lachmu et Lachamu, postea vero, longo temporis spatio elapso, altera generatio deorum prodiit: Anšar et Kišar. Rursus etiam post decursum multorum annorum ex hisce orti sunt Anu, Ea et probabiliter erat cum eis etiam Enlil seu Bel (deus mundi terrestris), hoc enim loco tabella est laesa. Hi sunt dii maiores.

Deinceps adhuc plures dii originem sumunt. Unus iuniorum deorum est Marduk (apud Berosum Bel nominatus) — deus solis verni, protector urbis Babylonis.

Deinde mythus narrat, Apsu activitate deorum perturbatum esse et cum Mummu ad Tiamat properasse. Hi chaotici dii in consilio facto perditionem aliorum deorum statuunt. Causa perditionis statutae erat iuniorum deorum animus imperii in universum mundum, praesertim vero potestatis sortium statuendarum [3]) sibi vindicandae. Ea tamen, sapientissimus deorum, funestum illud consilium assequitur

---

[1]) Cf. argumentum Iae tab., p. 47..

[2]) Cf. *Dhorme*, Op. l., pp. 1-81; *Gressmann*, Op. l., pp. 1-25 et al.

[3]) Quod munus supremam potestatem designat et tabella sortium in pectore gestanda exprimitur.

ac frustrat, nempe repente incurrit, Apsu occidit, Mummu vero constringit.

Tunc Tiamat furiosa, mortem illius ulcisci volens, ad bellum se praeparat. Nonnulli deorum se illi adiungunt. Tiamat creat undecim monstra, quae eam in pugna comitari debent: scilicet, serpentes, canes furiosos, homines-scorpiones, dracones aliaque huiusmodi. E numero sibi adhaerentium deorum eligit unum, nempe Kingu tanquam maritum, tabellam sortium ei tradit eumque ducem ad bellum gerendum designat.

Secunda tabella.

Deus Ea patrem suum Anšar de consiliis Tiamat certiorem facit. Iratus Anšar contra Tiamat mittit filium suum Anu, qui tamen sub primo aspectu Tiamat fugam arripit. Deinde Anšar alterum filium suum Ea ad proelium designat, sed hic quoque recusat. Nunc Marduk, iunior deorum, consentit proelium cum Tiamat inire ea conditione, ut dii eum ad primam dignitatem elevent necnon potestate „sortes statuendi“ decorent.

Tertia tabella.

Anšar consilio Marduk acquievit, sed consensu omnium deorum opus erat. Quo fine Anšar nuntium suum Gaga ad seniores deos Lachmu et Lachamu mittit; hic fuse lateque de funesto consilio Tiamat, de infausto successu deorum Anu ac Ea et de proposito Marduk enarrat atque ad coenam invitat; dii in palatio Anšar conveniunt, bibunt, inebriantur et sortes suas seu supremam potestatem Marduko committunt.

Quarta tabella.

Dii Marduko omnipotentiam contulerunt, quam probandam hic ita manifestat, ut vestis ante ipsum posita subito dispareat et ad eius mandatum iterum appareat.

Deinceps Marduk ad proelium diligenter se praeparat: Armis ornatus, fulgur sibi praemittit, ardescentibus flammis corpus suum implet, laqueum ad Tiamat capiendam praeparat, quattuor ventos disponit, ne Tiamat aufugiat, vehementes turbines, quae eum sequerentur excitat, ad pugnam demum procedit.

Cum Kingu, maritus Tiamat, eum conspexisset, valde perterritus est et cum aliis diis foederatis comitantibus in fugam se coniicit. Tum Marduk ipsam Tiamat ad certamen provocat eamque appropinquantem laqueo capit. Horribilem procellam Imchullu immittit in eius os apertum, quod Tiamat claudere non valet; tum Marduk corpus inflatum transverberat; deinde deos cum Tiamat conspirantes ac monstra omnia constringit, tabellam sortium Kingu extorquet eamque in pectore suo collocat.

Quibus peractis Marduk ad Tiamat revertitur et corpus eius in duas partes dissecat; ex una parte convexum coelum facit et ad aquas ibi retinendas pessulum obdit ac custodes ponit, ex altera parte terram format[1]).

Quinta tabella.

Postea Marduk annum determinat, eum in duodecim menses dividit, atque cuique mensi tres stellas assignat; deinde viam astris in firmamento stabilit; eis praeficit Nibiru seu planetam Iovem, cuius eclipsis cum solari fere concordat.

Tum Marduk splendere efficit Sin (lunam), cui noctem confidit, illiusque quattuor phases definit; denique in coelo sibi pulcherrimum palatium construit, in quo etiam dii Anu, Enlil, Ea habitaturi sunt[1]).

---

[1]) Hic loci sunt magnae lacunae.

[2]) In V tab. magnae lacunae adsunt.

Sexta tabella.

In sexta tabella, de qua pauci dumtaxat versus ad nos pervenerunt, recenter a King inventi ac impressi, narratur, Marduk ad adoratores diis praestandos homines sanguine dei adhibito formasse.

Septima tabella.

In septima demum tabella, quae pariter valde laesa ad nos pervenit, gesta Marduk eiusque creationes breviter depinguntur; praeterea quinquaginta tituli, quibus Marduk a spiritibus coelestibus „Igige“ honorificatur, expressi sunt. Ea, pater Marduk, numerum quinquaginta, uti numerum sacrum filii sui cum gaudio comprobat.

Hisce cuneiforme babylonicum poema „Enuma eliš“ absolvitur.

Cum vero Marduk in ultima tabella creator granorum et plantarum, productor herbarum doceatur, cum ex altera parte, secundum Berosum animalia simul cum hominibus creata sint, per consequens lacunae quintae et sextae tabellarum probabiliter vegetalia et animalia complectebantur.

Praeter mythum „Enuma eliš“ adsunt etiam aliae quaedam recenter inventae breviores narrationes babylonicae de creatione, forma poëtica compositae [1]).

Attamen etiam haec documenta notabiliter laesa ad nos pervenerunt.

Insignior harum narrationum incipit similiter ac epos „Enuma eliš“ eo, quod tempus creationis definit, enumerando

---

[1]) *Jeremias*, Das alte Testament im Lichte des alten Orients², p. 129 ss.; *Gunkel*, Schöpfung und Chaos, p. 417 ss; *Schrader-Zimmern-Winckler*, Die Keilinschriften und das A. T.³, p. 497 ss.

res, quae initio non existebant. Inter alias res etiam variae urbes et sanctuaria enumerantur.

Post pauca verba de chaos, ante creationem mundi unice existente, origo deorum necnon activitas Marduk in coelo et terra creanda breviter depingitur.

Marduk creat homines, prout in hac narratione dicitur: „ut dii in locis cordi eorum amoenis (scil. templis) habitent“, videlicet, propter cultum diis in templis ab hominibus praestandum, qui cultus ad prosperitatem deorum necessarius esse putabatur.

Hominum creandorum praeter Marduk unus adhuc deorum Aruru particeps erat.

Postquam de creatione animalium et vegetalium sermo generatim factus est, nonnulla eorum in specie enumerantur. Ad finem enarratur creatio rerum lignearum ac fictilium itemque fit mentio paucarum urbium nonnullorumque celebriorum templorum.

Haec altera recensio mythi, quae de pugna inter deos tacet ac deum Aruru creatorem appellat, poemate „Enuma eliš“ antiquior esse videtur, etenim primum creatio fortassis non deo Marduk, sed eiusdem patri Ea (= Aruru?) attribuebatur.

Igitur cuneiformis narratio babylonica notas characteristicas, quae sequuntur, complectitur:

a) Primum existit chaos, inordinata tenebrosa materia (mare originarium);

b) quae materia ante deos oriundos iam existebat;

c) chaos est principium tam theogoniae, quam cosmogoniae: ex Tiamat enim non tantum coelum et terra formata sunt, sed illa est etiam „mater deorum“;

d) coelum et terra, corpora coelestia et animantia terrestria a Marduk ex materia praeexistente producuntur;

e) mare primigenium (chaos) est vis deo inimica, quae tamen in poemate a Marduk devicta depingitur.

C. Aliae cosmogoniae gentiles.

Ad momentum historicum Gen. 1 dilucidandum, praeter cosmogoniam babylonicam, mythi aliarum gentium, qui quandam similitudinem cum cosmogonia biblica exhibent, prae oculis habendi sunt.

Huc spectant imprimis mythi vicinarum gentium, quibuscum Hebraei saepius consuetudine iungebantur, scilicet, Aegyptiorum et Phoenicum; insuper procul degentium Indorum, in quorum cosmogonia characteristicae, similes Gen. 1, notae inveniuntur; tandem saltem obiter Graecorum, Romanorum, Persarum.

1. Aegyptiorum.

Accuratà narratio cosmogoniae Aegyptiorum desideratur, sed in diversis documentis dispersa inveniuntur eorum sensa, quae tamen non sunt uniformia; nam quodvis collegium sacerdotale praeter ritus proprios et hierarchiam suam habebat singularem ac diversam theologiam indoli ac attributis dei patroni accomodatam.

Aegyptii deum urbis supremo cultu prosequebantur, qui dominus aliorum deorum, creator et gubernator mundi esse putabatur. Ille, secundum opinionem eorum, produxit omnia, licet non ex nihilo, nam notiones Aegyptiorum ultra primigeniam materiam non excedebant.

Alio vero loco idem de alio deo asserebant. Proinde etiam narrationes cosmogoniae eorum variae atque numerosae sunt[1]). Communia illis sunt, quae sequuntur:

Longo temporis spatio germina omnium rerum intra „Nu", i. e. intra caliginosas aquas quiescebant usque ad tempus, quo denique deus cuiusdam urbis ea excitavit, animavit,

---

[1]) Cf. *Maspero*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique, I p. 127 ss.

arbitratu suo fecit ac universum secundum suam proprietatem formavit.

Ita dea Nit ex Sais, quae textrix erat, mundum prout materiam texit.

Chnum, deus Nili, homines et omnia ex limo ad instar figuli in rota figulari agglutinavit.

In urbibus Deltae formatio mundi modo magis complicato peracta fuisse putabatur: Ibi coelum (dea Nuit) et terra (deus Seb) ad instar amplexorum amantium in Nu immersi esse existimabantur. Momento autem creationis novus deus Šu aquas aeternas penetravit, inter eos se insinuavit, deam Nuit a deo Seb disiunxit eamque super se manibus suis elevavit. Tum corpus deae stellis ornatum evenit firmamentum [1]).

Diversa tamen est idea creationis Thoth Hermopoli divulgata: Ibi deus nullo labore indiget, ut creare possit, creat enim solummodo voce sua, sensu tamen prorsus materiali sumpta. Hic igitur adest exemplum notionis, in qua vox vi creatrice pollet [2]).

Apud Aegyptios invenitur insuper notio, quae initio rerum ponit tantum universale tenebrosum mare, quocum spiritus primarius indissolubiliter coniunctus erat. Hic praeprimis motum ordinatum excitavit. Creatio eo incipit, quod ex mari primigenio ovum se emersit. Quo ex ovo prodiit deus lucis Ra forma parvi infantis, qui erat principium vitae in hoc mundo: hic deos creavit, mundum formavit, vitam produxit, ordinem nunc existentem rebellibus devictis stabilivit [3]).

Ergo in cosmogoniis aegyptiis deprehenduntur:

a) idem chaos tenebrosum ac liquidum;

b) necnon spiritus, qui in illo vitam produxit, licet alio modo, atque in narratione biblica, nempe magis mediato;

c) tum adest idea de ovo mundano, ex quo omnia prodierunt;

---

[1]) Ibidem, p. 128.

[2]) Ibidem, p. 146.

[3]) Cf. ibidem, p. 136 ss.

d) notatu dignum est, quod de exstinctione rebellium[1], a deo Ra facta, mentio fit et quod

e) denique post pugnam praesens ordo stabilitus sit.

Etsi facile hic cernitur analogia mythi aegyptii cum poemate babylonico, nemo tamen dependentiam inter haec sensa Aegyptiorum et mythum babylonicum admittebat[2].

2. Phoenicum.

Phoenices de origine mundi ex Aegypto quaedam deprompserunt. Doctrina eorum cosmogonica invenitur in operibus Philonis Byblii[3], qui eam ex scriptis antiqui sacerdotis gentilis nomine Sanchuniathon[4] hauserat. Cum autem opera Philonis Byblii periissent, unicus fons doctrinae cosmogonicae Phoenicum cognoscendae est opus Eusebii Caesareensis[5], qui Philonis opere usus eam citat.

Praeter Philonem B. ideae cosmogonicae Phoenicum conservatae sunt apud Damascium[6], qui cosmogonias secundum Mochum et Eudemum reproducit.

a) Secundum Philonem Byblium

seu potius Sanchuniathonem erant in initio solum chaos tenebrosum et spiritus primarius. Cum primum spiritus cupiditate secundum principia sua propria flagraret, orta

---

[1]) In „Libro Mortuorum" c. 17 deus Ra dicit: „Ego sum Ra, munimenta oceani creavi et filios rebellium exstinxi".

[2]) *Nikel*, Genesis und Keilschriftforschung, p. 118-119.

[3]) Judaeus, vixit ante Philonem Alexandrinum. Josephus Flavius citat illum in op. contra Apionem.

[4]) Berytensis, qui ante bellum Traianum vixerat.

[5]) Praeparatio evangelica, 1, 10.

[6]) *Damascius*, De primis principiis, c. 125.

est inter eum et chaos coniunctio. Hoc erat initium creationis mundi. Ex copulatione chaos cum spiritu originario productum est *Μώτ*, quod ab aliis limus, ab aliis „aquosae mixtionis corruptio“ esse putatur. Quae moles, germina vitalia omnium rerum continens, formam ovi induit. Ovum hoc diffinditur, ex altera parte eius coelum, ex altera terra formatur. Tum orta sunt in coelo corpora coelestia, in terra autem vi variorum eventuum naturalium substantiae animatae — masculinae et femininae apparuerunt[1]).

b) **Secundum Eudemum** erant in initio *Χρόνος* (עוֹלָם), *Πόθος* (desiderium) et *Ὁμίχλη* (nebula). Ex commixtione duorum posteriorum *Ἀήρ* et *Αὔρα* orti sunt, ex his vero *Ὠόν* (ovum mundanum) prodiit.

c) **Mochos** vero initio ponit *Αἰθήρ* et *Ἀήρ*, a quibus *Οὐλωμός* (עוֹלָם) — deus intelligibilis, originem traxit. Ab hoc *Χουσωρός* — apertor (fortassis ovi) et postea ovum originem ducunt. Evolutio vero ex ovo secundum Eudemum et Mochum similis est ac secundum Sanchuniathonem[2]).

De origine hominum apud Philonem Byblium hoc invenitur: duo principia — ventus *Κολπία* et uxor eius *Βάου*[3]) procreant protoparentes: *Αἰών* et *Πρωτόγονος* ex quibus *Γένος* et *Γενεά*, ex hisce demum incolae Phoeniciae oriuntur[4]).

Characteristicae igitur notae cosmogoniae Phoenicum sunt, quae sequuntur:

α) chaos et tenebrae,

β) spiritus, cuius vi (seu operatione) vita oritur,

γ) ovum, ex quo scisso omnia formantur,

δ) omnes homines ab uno pari procedunt.

---

[1]) Cf. *Eusebii*, Praeparatio evangelia l. I c. X. (Migne, P. G. 21 col. 75 ss.).

[2]) *Zappletal*, Op. l. p. 69.

[3]) Eusebius habet: *Βάαυ* (l. c., col. 76).

[4]) Cf. *Eusebii*, Op. l., col. 77 ss.; *Jeremias*, Das A. T. im Lichte des A. O[2], p. 141.

3. Indorum.

Litteratura indica abundat narrationibus cosmogonicis, quae saepe etiam in essentialibus inter se differunt[1]).

Maior tamen earum pars haec communia habet:

Initio erat immobile primum principium rerum, ex quo per evolutionem mundus ortus est, ita nimirum, ut in eo natae sint cogitatio et affectio, quae ad creationem mundi tendebant.

Illud principium, quod est primigenius spiritus „kama", primo produxit chaoticam molem aquarum, cui prima germina vitalia inerant.

Inter illa germina adest ovum, in quo secundum „Librum legum Manus" Brahma, pater omnium rerum, ortus est.

Post decursum unius „anni Brahmae", qui plura milia annorum duravit, hic cogitatione sua ovum in duas partes fidit, ex quibus coelum et terram, atmosphaeram, octo regiones coelestes, inexhaustum aquae receptaculum formavit.

Postea Brahma singulas res creavit, quod usque modo continuat[2]).

Notae characteristicae narrationis Indorum hae sunt:

a) aqua et tenebrae prima periodo evolutionis mundi,

b) spiritus materiam primigeniam animans,

c) coelum et terra facta ex dualus partibus ovi a Brahma fissi.

4. Graecorum.

Graeci[3]), secundum Hesiodum[4]), primum principium statuerunt chaos. Postea oriuntur Gaea (terra), Tartaros (abys-

---

[1]) Plures inveniuntur in Rig-Veda (X, 129, 190, 72), aliae in „Libro legum Manus" (I, 5 ss.). Cfr etiam *Lukas*, Die Grundbegriffe in den Kosmogonien der alten Völker, p. 65 ss.; *Jeremias*, Op. l., p. 151 ss.

[2]) *Nikel*, Op. l., p. 119 ss.

[3]) *Nikel*, Op. l., p. 120.

[4]) vixit saeculo 9o vel 8o ante Christum natum.

sus) et Eros (amor). Chaos concipit par: Erebos (primigeniae tenebrae) et Nyx (nox), qui deinde concipiunt: Hemera (dies) et Aether (lux diurna). Gaea concipit ulterius coelum stellatum-Uranos, montes et mare.

Proinde hic item inveniuntur initio chaos et tenebrae, postea terra, lux, coelum et mare. Ordo rerum in nonnullis quodammado similis est Gen. 1 [1]).

5. Romanorum.

Apud Romanos pariter deprehendi possunt quaedam ideae ex supra indicatis, v. g. notio chaos [2]).

6. Persarum.

Ideae cosmogonicae Persarum omnino differunt a notionibus aliarum gentium. Attamen ad cosmogoniam biblicam accedunt in eo, quod creatio sex periodos complectitur, quam ob causam annus Persarum in sex partes dividitur [3]).

D. Affinitas inter cosmogoniam biblicam et cosmogonias gentiles.

Cosmogoniis gentilibus cum narratione biblica Gen. 1 collatis, similitudines intercedere, animadvertimus, ut chaos in utraque parte adesse, divisionem aquae chaoticae in duas partes, incubationem Spiritus s. in Gen., ovum mundanum in aliis, apparitionem lucis ante solem in Gen. 1, existentiam lucis pariter ante Marduk, creationem hominis ex humo

---

[1]) *Nikel*, Op. l., p. 120.
[2]) Cf. *Ovidius*, Metamorphoses I, 5-17.
[3]) Cfr *Dillmann*, Genesis, p. 8.

in Gen. 1 et in descriptione Berosi, creationem factam Dei voce in Gen., vim magnam item vocis Marduk etc., quinimo utramque partem interdum ipsis verbis inter se concordari, v. g. in Gen. 1, 2 תהום, in poemate babylonico „tiamat"; in Gen. 1, 2 בהו, in cosmogonia phoenicia *Βάαυ*.

Quas similitudines inter cosmogoniam biblicam et ex altera parte gentiles vario modo viri docti explicare conati sunt diversasque theorias statuerunt:

I. Multi antiqui critici et pauci recentes putabant, ideas cosmogonicas gentilium ex Pentateucho sumptas esse. Ita Aristobulus Alexandrinus, philosophus iudaicus (II s. ante Christum natum) demonstrare enixus est, philosophos, v. g. ipsum Platonem ac poetas graecos doctrinam Pentateuchi novisse et nonnulla exinde hausisse. Clemens Alexandrinus († circa 220) affirmabat, mythos gentium originem ex narratione biblica ducere. Quae opinio etiam posterioribus temporibus, praecipue 17-19 saec. non paucos asseclas habuit, ut Huetium, qui demonstrare conatus est, totam fere doctrinam gentium de diis ex Moyse haustam esse; similia affirmabat Daniel Heyden, Guérin du Rocher, Edward Wilton, Creutzer, Fourrière aliique[1]); imo quidam recentissimorum, ut Kröll[2]) hanc opinionem defendunt.

Attamen haec sententia amplius sustineri nequit. Licet enim aetas ceterarum cosmogoniarum non sit certa, sed babylonica absque dubio antiquior est, quam libri Genesis, ideoque ex Scriptura sacra depromi nequit, nam poema „Enuma eliš" in forma hodierna saltem ad aevum Hammurabi (21 saeculum ante Christum natum) referendum est; mythus vero babylonicus in se ipso, in substantia sua consideratus, multo antiquior poemate „Enuma eliš" censeri debet[3]).

---

[1]) De his cf. *Nikel*, Op. c., pp. 8-10.

[2]) In op. „Die Beziehungen des Klassischen Altertums zu den heiligen Schriften des Alten und Neuen Testamentes", Trier 1901.

[3]) Cfr supra p. 46.

Ergo mythus babylonicus antiquior est, quam Gen. 1, ac proinde ex iuniore narratione biblica non est assumptus.

II. Nonnulli critici ex recentioribus aliam viam in relatione cosmogoniarum explicanda ingressi sunt, scilicet, tum narrationem biblicam, tum parallelos mythos gentium ab invicem independenter ortos esse affirmabant, et quidem similitudines ex communi indole hominum et observatione earundem rerum atque eventuum originem ducere, dissimilitudines ex singularibus proprietatibus populorum ac regionum declarari posse, ut Otfried Müller[1]) orientalem influxum negavit in mythis Graecorum, Frd. Grau[2]) et Jo. Röntsch[3]) independentem propriam originem religiosarum idearum apud Indogermanos et Semitas asseruit.

Quae tamen theoria discrepantiarum inter utramque partem occurrentium rationem habet, sed similitudines intercedentes nullo modo exhaurit, nam inter cosmogoniam biblicam et narrationes aliarum gentium tales similitudines reales et verbales conspiciuntur, quae absolutam independentiam excludant.

Exinde recentissimorum fere nemo est, qui eam defendat.

III. Cum igitur neutra harum opinionum relationem inter cosmogoniam biblicam et narrationes gentiles dilucidare valeret, ultimis temporibus orta est theoria, quae non solum dependentiam agnovit, sed etiam affirmat cosmogoniam biblicam ex mythis gentium, praecipue Babyloniorum assumptam esse. Quae theoria diligentem attentionem meretur, tum quia recenter effossis documentis munitur, tum quia a pluribus criticis defenditur.

Ante effossiones in Oriente factas critici narrationem biblicam cum cosmogonia aegyptia, phoenicia, indica con-

---

[1]) Prolegomena zu einer wissenschafftlichen Mythologie.

[2]) Semiten und Indogermanen in ihrer Beziehung zu Religion und Wissenschaft².

[3]) Ueber Indogermanentum und Semitentum. Eine völkerpsychologische Studie.

ferebant, nunc vero plures, praecipue acatholici ad poema „Enuma eliš" sese converterunt atque hoc esse fontem ac basim narrationis biblicae asseruerunt.

Initia huiusmodi criticae erant sat moderata, sed deinceps conamina eius eo usque processerunt, ut tota theoria de babylonica origine cosmogoniae biblicae proposita sit:

Ita Hommel[1]) demonstrare conatus est, mentiones, quae in nonnullis locis V. T. inveniantur de pugna Iahve cum dracone, in stricto nexu cum mytho Marduk-Tiamat esse.

Iam prius Budde[2]) timide probabat, narrationem babylonicam non solum totam materiam et ideas fundamentales Gen. 1 continere, sed etiam haec omnia essentialiter simili ordine ac iuxtapositione exprimere. Contra nonnullas difficultates huius coniecturae, opinione Budde, tot tantaque in hisce narrationibus concurrunt, ut notabilis possibilitas dependentiae narrationis biblicae ab assyro-babylonica usque ad transplantationem externae constructionis eiusdem pertingentem, difficile removeri possit.

Ultra, quam Budde, progreditur Jensen[3]), qui iam aperte affirmat, inter cosmogoniam babylonicam et narrationem biblicam dependentiam insignem intercedere. Secundum Jensen, conclusio quartae tabellae in cosmogonia cuneiformi et fragmenta quintae ac septimae una cum initio primae tabellae sine ullo dubio prototypum narrationis biblicae constituunt. Argumentum assertionis Jensen in eo fundatur, quod ordo eventuum in utraque narratione absolute idem sit. Deinde Jensen declarare conatur modum, quo biblica narratio de creatione orta sit, nimirum putat, scriptorem Gen. 1 babylonicas fabulas de creatione mutuatum esse, indolem specifice babylonicam amovisse atque pro notis mythologicis et polytheisticis monotheisticas substituisse.

Rem de relatione inter cosmogoniam biblicam et babylonicam ex professo agit H. Gunkel in duobus operibus:

---

[1]) Neue Kirchliche Zeitschrift, 1890, I, pag. 405 ss.
[2]) Die biblische Urgeschichte, 1883, p. 485.
[3]) Die Kosmologie der Babylonier, p. 306.

„Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit“[1]) et „Genesis“[2]), de quibus infra fuse erit sermo.

Gunkel, scientifico apparatu critico instructus, theoriam de babylonica origine cosmogoniae biblicae palam protulit, quam copiose probare conatur.

Opinioni Gunkel de origine Gen. 1 multi se adiunxerunt: ut assyriologus Zimmern[3]) asserit, babylonicum mythum „Marduk-Tiamat“ apud Israelitas „Iahve-Tehom“ evenisse; Frd. Delitzsch[4]) autem affirmat, strictissimam dependentiam inter cosmogoniam biblicam et narrationem babylonicam claram ac manifestam esse, licet scriptor codicis sacerdotalis, qui Gen. 1 composuerit, omnes notas mythologicas ex narratione sua amovendas diligenter curaverit.

Ex assertionibus Delitzsch, 1902 anno publice prolatis, in Germania et exteris regionibus late diffusum est problema: „Babel und Bibel“, scilicet, Babyloniam esse primarium fontem narrationum Scripturae sacrae; quae usquemodo revelata esse considerarentur, nonnisi apographum mythorum babylonicorum constituere[5]).

Theoria Gunkel est maxime divulgata; eam usquemodo amplectuntur fere omnes critici protestantes; quinimo etiam nonnulli catholicorum eiusdem influxum subierunt, quod patet ex vestigiis mythologicis ab eis in cosmogonia biblica agnitis, diverso tamen sensu a scriptore sacro adhibitis:

Ita v. g. Höpfl[6]) dicit: Etiam mythologica quaedam in sacris Litteris deprehendi possunt, sed ibi polytheistico charactere carent atque ad sublimes et religiosas ideas exprimendas adhibentur.

Höpfl de significatione locutionum mythologicarum in sacra Scriptura solum generaliter loquitur; alii tamen scrip-

---

[1]) pp. 1-170.

[2]) pp. 101-131.

[3]) Biblische und Babylonische Urgeschichte, p. 10.

[4]) Babel und Bibel[4] pp. 29 et 34.

[5]) Res litteraria huius quaestionis invenitur in „Biblische Zeitschrift“ 1903.

[6]) Die höhere Bibelkritik, p. 63.

tores de dependentia narrationis biblicae a cosmogonia babylonica expresse loquuntur.

Holtzhey [1]) existimat, ex nonnullis notis cosmogoniae biblicae concludendum esse, materiam narrationis biblicae ex alio uberiore dramate de creatione excerptam esse, etiamsi parallelam traditionem babylonicam non haberemus.

Loisy [2]) vero, qui nuper prorsus a catholico modo sentiendi discessit, etiam antea, scilicet, 1901 anno affirmabat, legendas chaldaicas Israelitis notas fuisse, ad quas ab eis iam antiquo tempore ideas religiosas adaptatas esse.

Ex dictis patet, theoriam Gunkel apud plures criticos magna auctoritate gaudere, quare, ut rite aestimetur, accurate eam cognosci oportet.

Prolixa argumentatione in operibus suis Gunkel demonstrare conatur, Babyloniam patriam narrationis biblicae Gen. 1 fuisse.

Omnia asserta sua Gunkel primo, ex analysi ipsius narrationis biblicae eruit eaque secundo, ex comparatione Gen. 1 cum mytho babylonico probare conatur:

Initio demonstrare intendit, cosmogoniam biblicam minime excogitationem scriptoris Gen. 1 esse, quippe quae tales narrationes ab uno homine non excogitentur neque etiam excogitari possint, sed semper traditione nitantur. Prima etiam conamina scientifica existentiae mundi explicandae,

---

[1]) Schöpfung, Bibel und Inspiration, p. 41.

[2]) „Les textes bibliques ne sont pas dans un rapport de dépendance directe à l'égard des textes babyloniens que nous avons pu leur comparer; ils ne sont même pas dans un rapport de dépendance directe à l'égard des traditions particulières que représentent ces textes; mais ils reposent sur un fond analogue, et l'on peut dire, commun, qui est chaldéen d'origine . . . On peut admettre que les enfants d'Israel ont de très bonne heure adapté les legendes chaldéennes à l'ésprit de leur religion, et qu'ils étaient en possession d'une cosmogonie, où Jahvé tenait le rôte de créateur, assez longtemps avant que fussent rédigés les plus anciens documents de l'Hexateuque.“ Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse, p. 101.

ad quae Wellhausen (Prolegomena³, 312) Genesim 1 referat, ex traditione mythologica orta esse[1]). Codicem sacerdotalem (PC) in genere non arbitrarias excogitationes suas proposuisse, sed vetustiorem materiam de novo elaborasse et ad coaevorum mentem adaptasse. In eiusmodi elucubratione quasdam notas apparere, quae aliquam narrationem alia vetustiore traditione niti ostendant.

Quas notas mythologicas etiam narrationi biblicae inesse, quae hodiernam formam Gen. 1 ab alio ignoto mythologico archetypo derivari demonstrent[2]); quibus vestigiis adnumerari imprimis chaos et alteram notam cum eo coniunctam, scilicet, praesentem mundum per „divisionem" ortum esse[3]).

Ideam chaos, tenebrarum, aquae, initio mundi existentium, ad mythologiam pertinere neque ullo modo a tali homine, ut scriptor Codicis sacerdotalis, excogitari potuisse; eo magis, quod etiam varii mythi gentiles in eo inter se concordent, mundum aliquando — aquam et tenebras fuisse; cum autem in Gen. 1 notionem mythologicam deprehendi concedatur, possibilitatem etiam excludendam non esse — totum caput mythum esse.

Aliam notam mythologicam in Gen. 1 esse spiritus incubationem aquis, quam ideam Hebraeis alienam esse; dicendum potius esse, veterem hic notionem mythologicam de ovo mundano apparere.

Tenebras non esse creatas, sed ab initio exstitisse easque non esse laudatas, quod antiquae mythologiae signum constituere.

Ad antiquas notas pertinere, plantas et arbores ab ipso Deo non creatas, sed iussu Dei a terra productas esse, hic vestigium mythologicae, in observatione fundatae, imaginis terrae latere, nempe, terram quovis vere de novo plantas producere.

Tum luminarium coelestium in diem ac noctem dominationem diu iam exstincti cultus astralis vestigium esse.

---

[1]) *Gunkel*, Schöpfung und Chaos, p. 6.

[2]) *Gunkel*, Genesis, p. 118.

[3]) Schöpfung und Chaos, p. 7.

In narratione de hominis origine totam seriem notarum mythologicarum contineri: ita locutione „*faciamus*" — cooperationem sive aliorum „Elohim", sive spirituum in creando demonstrari, quam tamen notionem repugnari ideae Hebraeorum de Deo et proinde origine non esse hebraicam, sed potius vestigium antiqui polytheismi; deinde etiam ideam hominis ad similitudinem Dei creati non solum esse antiquiorem, quam Genesis, sed etiam origine prorsus non hebraicam censendam esse.

Idem de quibusdam aliis notis, prout de approbatione cuiuscunque rei creatae, de Dei mandato, ut homines animaliaque vegetalibus solum nutrirentur, de dispositione operum creatorum in sex dies, de quiete Dei post opus perfectum dici oportere[1]).

Ex analysi Gen. 1 Gunkel concludit, traditionem biblicam probabiliter non in Israel ortam esse[2]).

Investigationem suam Gunkel prosequitur assertione, mundum olim aquam fuisse; quam ideam absque dubio sub influxu aëris localis formatam esse; originem mundi in mytho ita exprimi, ut etiam nunc initio cuiusvis anni accidat: primo aquam et tenebras deprehendi, deinde lucem aquas dividentem in superiores (nubes) et inferiores (mare) oriri.

Quam notionem esse intelligibilem in regione, ubi magna flumina adsint, quae inundationes producant vimque in regionem exerceant, hieme enim pluviam cadentem desuper permisceri cum aquis inferioribus in unum chaos, vere autem ineunte aquas in inferiores et superiores dividi, quod in Canaan propter penuriam maiorum fluminum observari non posse; praeterea aquam inimicam repraesentari, quam amovendam esse, ut mundus oriatur, in Canaan autem aquam potius amicam considerandam esse, cum sine aqua messis opulenta percipi non possit.

---

[1]) Schöpfung und Chaos, pp. 12 ss.; Genesis, p. 119.

[2]) Schöpfung und Chaos, p. 15.

Mythum igitur in Canaan obscurum, in Babylonia omnino perspicuum esse [1]).

Insuper differentiam inter hebraicam et babylonicam computationem initii cuiusvis anni esse notatu dignam: secundum antiquam Hebraeorum traditionem annum autumno, secundum Babyloniorum autem vere initium duxisse; itaque apud Israelitas tempus pluviarum in exordio novi anni fuisse, apud Babylonios — in exitu veteris anni; reapse autem fuisse, ut mundus tempore verno creatus sit. Ergo narrationem Gen. 1 cum babylonica anni computatione, non cum hebraica concordare.

Ex tota hac investigatione, etiam absque comparatione Gen. 1 cum cosmogonia babylonica, Gunkel concludit, narrationem biblicam non esse commentum scriptoris, sed valde antiqua traditione fundari, quae non in Canaan orta sit, sed originem eius probabiliter in Babylonia quaerendam esse [2]).

Gunkel in secunda parte investigationis opinionem suam comprobare studet comparatione instituta cosmogoniae biblicae cum mytho babylonico; quem mythum cum narratione biblica in singulis notis quidem characteristicis concordare asserit [3]):

In utroque mytho mundum initio aqua et tenebris constare; insuper etiam nomen biblicum תהום cum babylonico Tiamat convenire; item nomen בהו probabiliter esse babylonicum.

Porro conspicuam similitudinem esse in eo, quod mundus in utraque narratione ex divisione aquarum primigeniarum in duas partes oriatur.

Deinde creationem in Gen. 1 omnipotenti voce Dei perfici; etiam in mytho babylonico viam vocis dei Marduk firmiter esse expressam.

---

[1]) Schöpfung und Chaos, p. 15; Genesis, p. 120.

[2]) Schöpfung und Chaos, p. 16.

[3]) Schöpfung und Chaos, pp. 115 ss.

Tum eundem ordinem in creatione animalium terrestrium observari, scilicet, bruta domestica, bestias feras, reptilia.

Totam demum seriem notarum, quae in descriptione cosmogoniae biblicae contineantur, ex mytho babylonico solum perspici:

Destinationem corporum coelestium ad tempus regendum in hebraica traditione male sonare et aures offendere, bene autem ex babylonico cultu astrali explicari.

Rem prorsus singularem ac obscuram esse, quod in Gen. 1 lux ante creationem astrorum adsit; quam notam pariter in mytho babylonico inveniri, videlicet, lucem apparere prius, quam ipsum deum Marduk, qui stellas creaverit; illam tamen circumstantiam in narratione babylonica ex ideis polytheisticis bene illustrari, nempe Babylonios coluisse omnino distinctum deum lucis, eumque diis maioribus adnumerasse, Marduk autem — deum iuniorem, ortum esse, cum lux iam existeret.

Deum, re qualitet creata, eandem bonam dicere, ex comparatione cum mytho babylonico peculiarem sensum acquirere, benignitatem enim dei Marduk in hymno babylonico laudari, qui terribile monstrum Tiamat occiderit ac bonum mundum creaverit. Tenebras non dici bonas, influxu babylonico explicari.

Quibus argumentis munitus Gunkel iam aperte affirmat, narrationem biblicam esse dumtaxat mythum et quidem annulum unius magnae catenae, descriptionem similem multis aliis, quarum babylonica origo iam stabilita sit[1]).

In definiendo tempore, quo mythus babylonicus transplantatus sit, critici protestantes differunt inter se, nam quidam eorum mutuationem tempore exilii factam esse affirmant,

[1]) „Jetzt ist Gen. 1 nicht mehr ein isoliert stehendes stück, dessen Berührung mit der Mardukgeschichte sehr sonderbar erscheinen mag; sondern es ist ein Glied in einer grossen Kette, eine Recension neben so vielen andern, für die wir schon den babylonischen Ursprung festgestellt haben.“ Schöpfung und Chaos, p. 117.

alii vero recedunt usque ad tempus, quo Abraham in Ur-Kasdim degeret.

Gunkel autem, postquam opinionem eorum, qui tempus exilii vel etiam periodum prophetarum indicabant, apte refutavit, mutuationem antiquissimis temporibus peractam esse demonstrare conatus est[1]):

Etenim Hebraeos antiquissimis temporibus influxum Babyloniorum etiam sub respectu religioso subiisse certum est: Abraham enim ex Ur-Kasdim originem duxisse et proinde ideas religiosas Babyloniorum optime novisse; porro in regione Canaan, antequam Hebraei hanc occuparent, culturam una cum ideis babylonicis iam maxime divulgatas esse, ut recenter inventae „Litterae Amarnenses“ [2]) manifeste testentur: linguam quidem babylonicam in Canaan in communi usu fuisse atque gubernatores Palaestinae hac lingua relationes suas ad pharaones misisse; praeterea Hebraeos cum Babyloniis continuo mercaturam fecisse; cuiusmodi relationes effecisse, ut Hebraei non tantum culturam agrorum ac vinearum et vivendi consuetudines imitarentur, sed etiam ideas religiosas paulatim mutuarentur. Illo igitur antiquissimo tempore etiam narrationes cosmogonicas Babyloniorum in mentes Hebraeorum penetrasse[3]).

---

[1]) Schöpfung und Chaos, p. 121 ss.; Genesis, p. 129 ss.

[2]) 1887 an. a rustica femina, agrum colente, inventae sunt 358 fictiles tabellae in Aegypto, loco el-Amarna, in ripa Nili, circiter 260 klm. versus meridiem ab urbe Cair. Illae tabellae, lingua babylonica, cuneiformi scriptura exaratae, exhibent litteras duorum pharaonum Amenophis III (1438-1401) et Amenophis IV (1401-1389), ex altera parte diversorum principum et regum occidentalis Asiae. Fusius cfr *Knudtzon*, Die El-Amarna-Tafeln, p. 1 ss.

[3]) Schöpfung und Chaos, p. 149 ss.

IV. Refutatio theoriae de babylonica origine cosmogoniae biblicae.

Gunkel similes notas inter cosmogoniam biblicam et babylonicum mythum „Enuma eliš“ collegit, nos autem discrepantias intercedentes indicabimus, atque critice illas similitudines examinabimus.

1. Primo, generatim considerando, cosmogonia biblica a babylonico mytho *scopo*, *argumento*, *externa forma* penitus differt.

a) *Scopum* quod attinet, in poemate babylonico non tam descriptio creationis mundi proponitur, quam potius laus dei Marduk fine politico celebranda intenditur. Marduk iunior in pantheone babylonico, tum demum potentissimus deorum ac supremus universi moderator factus est, quum reges Babylonis, cuius ille protector erat, vicinis devictis, principatum in omnia regna Chaldaeae meridionalis adepti essent. Pugna proinde Marduk cum Tiamat monstro est nonnisi allegorica descriptio certaminis, quod regibus urbis Babylon cum aliis regnis foederatis Chaldaeae gerendum erat ad primam dignitatem acquirendam, nam Tiamat est nomen collectivum meridionalium regnorum, quorum maior pars ad mare (תהום = Tiamat) posita erat[1]).

Cosmogonia autem biblica scopum ethicum ac religiosum prosequitur, scilicet, mundum a Deo esse creatum et ideae divinae perfecte respondere (bonum esse), hominem vero esse nobilissimam creaturam, cui omnia alia in mundo subiecta sint, ostendere studet.

Igitur scriptor sacer rectam doctrinam de initio mundi et hominis proponens, coevorum errores indirecte refutat ac proinde finem etiam apologeticum habet.

b) Quae cum ita sint, in ipso *argumento* utriusque partis magnum discrimen deprehenditur:

---

[1]) *Nikel*, Op. l., p. 51. 114; *Hoberg*, Babel und Bibel, p. 16.

α) Idea fundamentalis mythi babylonici consistit in theogonia seu origine deorum proponenda. Secundum Babylonios dii ex materia emanati intra mundum materialem existunt, ad eum totaliter, ut pars eiusdem constitutiva pertinent et ab eo dependent. Relationes itaque et actiones, quas Babylonii diis suis adscribebant mundum materialem non excedebant[1]).

In narratione autem biblica cosmogonia sensu stricto describitur. Quaestio de Dei origine hic deficit ac prorsus aliena est non solum Gen. 1, sed etiam omnibus aliis Veteris Testamenti libris.

β) Altera nota distinctiva argumenti in notione supremi numinis deprehenditur. In poemate „Enuma eliš" polytheismus, in narratione autem biblica monotheismus describitur.

Dii Babyloniorum non sunt aeterni, initium enim habebant, scilicet, omnes ab Apsu et Tiamat immediate vel mediate procedunt, qui personificationem mundi in primitivo statu chaotico exhibent. Merito proinde idea Babyloniorum dici potest naturalisticus pantheismus, in quo Apsu et Tiamat sunt masculina et feminina species personificatae materiae.

Magnum momentum theogoniae babylonicae in eo consistit, quod illa partem essentialem cosmogoniae constituit[2]); theogonia Babyloniorum est nonnisi origo alterius duorum contrariorum agentium[3]), ex quorum lucta universitas rerum et ordo nunc existens producta sunt. Dii enim sunt adversarii „Apsu-Tiamat", scilicet, inordinatae informis materiae. Activitas deorum perturbat consuetudines et potestatem Apsu, incursum in ipsam eius existentiam exhibet.

---

[1]) *Kirchner*, Die babylonische Kosmogonie und der biblische Schöpfungsbericht, p. 9.

[2]) „Die hohe Bedeutung aber, welche die Theogonie besitzt, ist darin gelegen, dass sie eine durchaus wesentliche Phase der Kosmogonie, ein integrierendes Stadium des Weltwerdeprozesses bildet." *Kirchner*, Op. l., pp. 8-9.

[3]) „Die Entstehung des zweiten der beiden grossen Faktoren" . . . *Kirchner*, Op. l., pp. 8-9.

Babylonii praeterea sub nomine dei non tantum numen vitam producens et ordinem in mundo stabiliens intelligebant, sed etiam numen ex indole sua infaustum ac moraliter malum. Babylonica igitur notio supremi numinis comprehendit duo contraria ac inimica principia, videlicet, dualismum profitetur[1]).

Ex dictis patet, immensam abyssum intercedere inter notionem supremi numinis in mytho babylonico et in Gen. 1, utpote sibi ex opposito omnino contrariis. Illic crassus polytheismus, hic sublimis monotheismus proponitur:

Numina babylonica ex materia evoluta agunt intra mundum, a quo dependent. Vita eorum et sors cum mundo stricte coniungitur, subeunt pericula, pugnant ad potestatem sibi vindicandam et vitam conservandam[2]).

Contraria prorsus est notio Dei in Gen. 1: heic Deus est principium transcendentale, a nullo alio dependens, unica causa omnium rerum, qui universitatem rerum pro lubitu suo disponit ac gubernat, ergo purum monotheismum exhibet.

Evolutio proinde notionis Dei in Gen. 1 ex idea Babyloniorum excludenda est. Fundamentalis error plurimorum interpretum, qui hanc evolutionem admittunt, consistit in essentia polytheismi illius temporis haud rite intellecta; in tota enim antiquitate polytheismus exhibebatur tanquam monismus mundi, secundum quem dii tantum intramundani agentes erant. Ab eiusmodi autem monismo ad biblicum monotheismum nulla evolutio, sed solummodo retractio esse potest[3]).

Reapse historia teste nulla gens per seipsam a polytheismo ad monotheismum se elevavit.

E contrario excultae gentes antiquissimis existentiae suae temporibus paucos deos habuerunt, imo, quo antiquiora tempora explorantur, eo pauciores dii inveniuntur. Apud nonnullas gentes, etiam apud Babylonios, vestigia pristini mo-

---

[1]) Ibidem, p. 10.

[2]) Ibidem, p. 19 ss.

[3]) Ibidem, p. 21.

notheismi perspici possunt; postea vero historia progrediente dii multiplicantur[1]).

Nequaquam igitur seminomades ac proinde rudes Hebraei, qui insuper undique gentibus polytheismum profitentibus circumdati habitabant, a polytheismo gentium ad monotheismum per se pervenire poterant, cum ne excultissimae quidem gentes, ut Aegyptii, Babylonii, per se ad eundem elevari non potuissent.

Per consequens concludendum est, neque populum Hebraeorum naturali evolutione ad monotheismum pervenire neque mythos gentium de polytheismo purgari valuisse.

γ) Porro inter utramque narrationem intercedit discrimen notionis materiae, quae in mytho babylonico est increata et aeterna, in narratione autem Gen. 1 a Deo ex nihilo producta proponitur. Materia secundum mythum babylonicum est primum et universale principium, existentiam ex se ipso habens ac proinde aeternum. Dii Babyloniorum vel cum materia identificantur, vel ab ea producuntur: de origine Apsu et Tiamat nihil dicitur, quapropter illos ab aeterno existere praesumitur; dii vero originem suam ab illis ducunt.

Scriptor autem Gen. 1 dicit, Deum ante omnia alia, quae praeter Eum existant, exstitisse Eumque haec omnia ex nihilo creasse.

Inter tantas ex opposito diversas notiones argumenti non potest admitti affinitas in sensu mutuationis idearum religiosarum a scriptore Gen. 1 ex mytho babylonico factae.

δ) Tum in ipso, ordine argumenti utriusque narrationis considerando facile animadvertitur systematica ac ordinata dispositio materiae in narratione biblica, cum in mytho babylonico etiam primo obtutu deprehendatur absentia talis dispositionis, v. g. Anu (deus mundi coelestis) et Bel (patronus mundi terrestris) iam exstiterant, antequam ortus est ipse Marduk, qui coelum et terram quidem creavit.

---

[1]) *Hoberg*, Babel und Bibel, p. 25.

c) Praeter scopum et argumentum denique cosmogonia biblica a mythis gentilibus ipsa *forma externa* differt, nam cum mythus babylonicus insolentem quandam poesim prodigiosis imaginibus plenam praebeat, biblica narratio gravis, sublimis ac simul simplex est[1]). Idem fere dicendum est de narrationibus aliarum gentium.

2. Distinctivis notis essentialibus utriusque narrationis generatim delineatis, ad similitudines, quas Gunkel asserit, in specie examinandas accedimus. In hisce explanandis ordinem idearum Gen. 1 sequimur, cum Gunkel eas, bis vario sub respectu afferens, leviter infregerit.

a) Secundum opinionem Gunkel eiusque fautorum *chaos*[2]) biblicum argumento suo et nominibus: תְּהוֹם = tiamat, בֹּהוּ = *Bάου* manifestat, narrationem Gen. 1 esse mythologicam et ex mytho babylonico mutuatam.

Negandum tamen est, notionem mundi ex chaotica materia facti necessario mythologicam esse, cum ipse Gunkel agnoscat, ideam chaos in poemate „Enuma eliš" ortam esse ex observationibus physicis, scilicet annuorum et quotidianorum phaenomenorum naturae[3]), quodque de chaos cosmogoniae biblicae pariter dici potest.

Insuper haec idea chaos producta esse potest ab homine ex analogia a seipso desumpta, videlicet, homo ad aliquam rem faciendam materia cruda indiget v. g. ligno, lapide, luto; hominis autem est conclusiones per analogiam deducere.

Notio biblica primigeniae chaoticae materiae tunc solum esset mythologica, si ornata esset peculiaribus notis, non

---

[1]) Qua in re ipse Gunkel dicit: „Dort (in mytho bab.) alles wild und grotesk, himmelstürmende, barbarische Poesie; hier die feierliche, erhabene Ruhe einer weitläuftigen und manchmal etwas nüchternen Prosa", Schöpfung nnd Chaos, p. 118; item *Wellhausen*, Prolegomena[3], p. 311 ss.

[2]) Schöpfung und Chaos, pp. 7, 115.

[3]) Ibidem, p. 15.

ex communi ratiocinio humano sequentibus, sed ex narrationibus solummodo mythologicis.

Atqui eiusmodi notae non in Genesi, sed in narratione babylonica inveniuntur, scilicet, chaos apud Babylonios est ens specie hominis vel monstri indutum, quod cum diis pugnat, devictum occiditur ac finditur.

Assertio autem, scriptorem Gen. 1 chaos babylonicum a mythologica indole purgasse non est nisi petitio principii, nam prius demonstrandum est, mythum babylonicum constituere basim narrationis Gen. 1[1]).

Praeterea inter chaos babylonicum et biblicum essentialis differentia intercedit, quae nulla evolutione naturali explanari potest:

Ibi chaos est aeternum, deos procreans iisque inimicum et pugnans cum eis; hic vero temporale, a Deo ex nihilo creatum, Dei voci obediens.

Ibi chaos — vis inimica describitur, quod facile ex vastatione inundationibus producta intelligitur; hic vero chaos est substantia prorsus indifferens.

Gunkel non solum argumentum chaos Gen. 1, sed etiam nomen eius ex babylonico mytho derivat. Equidem biblicum תהום absque dubio identicum est cum babylonico Tiamat, quod mirum non est, cum idioma babylonicum et biblicum ad eandem classem semiticam pertineat, unde similitudo nominis provenit; v. g. apud alios semitas, ut Arabes occurrit simile nomen: „tihamat", „mare" significans.

תהום autem biblicum differt a babylonico Tiamat eo, quod neque in Genesi neque alio loco Veteris Testamenti tanquam nomen personae vel monstri mythologici adhibetur, sed semper est denominatio simpliciter abyssi seu maris primigenii, pariter atque alia iuxta posita nomina: ארץ simpliciter — terram, מים simpliciter — aquas designant. In mytho autem babylonico Tiamat personificationem chaos exhibet. Cum autem significatio propria logice prior sit, quam my-

[1]) Cf. *Nikel,* Op. 1, p. 68.

thologica, quae illa nititur, nomen biblicum propria significatione a mythico non dependet.

Simili modo nomen Gen. 1, 2: בֹּהוּ accedit ad *Báov* in cosmogonia phoenicia, sed dubium est, utrum apud Phoenices authentice *Báov* fuerit, nam apud Eusebium [1]) legitur *Báαν*, quo casu nulla affinitas cum בֹּהוּ biblico intercederet. Supposito tamen *Báov* = בֹּהוּ, hoc primitus fortassis in sensu appellativo adhibebatur, similiter, atque voces *Κολπία*, *Αἰών*, *Πρωτόγονος*, *Γένος*, *Γενεά*, quae una cum *Báov* apud Sanchuniathonem uti personae mythicae proponuntur [2]).

Vim huius explanationis non inficiunt conatus protestantium demonstrandi ope quorundam textuum Veteris Testamenti, תְּהוֹם biblicum ad instar babylonicae Tiamat esse mythicum monstrum.

Qua in demonstratione tum Gunkel [3]), tum alii, ut Hommel, Zimmern, Delitzsch provocant quidem ad alios Veteris Testamenti textus, in quibus monstra: *Rahab*, *Leviathan*, *Behemoth*, *draco*, *mare primigenium* nominantur atque affirmant, hos textus esse connexos cum mytho Marduk ac vestigium in genere dependentis traditionis hebraicae et in specie narrationis Gen. 1 ab hoc mytho constituere.

Attamen imprimis notandum est, Tiamat in narratione cuneiformi specie non differre a marito suo Kingu, nec ab aliis diis, qui speciem humanam exhibeant; Berosum, qui simulacra templi babylonici adhuc noverit, explicite dicere, eam esse feminam, quare non fuisse monstrum.

Porro animadvertendum est, nomina monstrorum: Rahab, Leviathan, Behemoth, draconis, maris primigenii a mytho Babyloniorum prorsus aliena esse, cum nullibi in eo simile quid inveniatur.

Tandem ipsa illa monstra quod attinet:

α) *Rahab* (Is. 30, 7; 51, 9-10; Iob 9, 13; 26, 12; Ps. 89, 10 ss.; 40, 5) minime est monstrum chaos, sed ut ex contextu patet, est nonnisi denominatio Aegypti, cuius destruc-

---

[1]) Praepar. evang. I, 10: *Migne* P. G. 21, 76.

[2]) *Nikel*, Op. l., p. 71.

[3]) Sch. u. Ch., pp. 30 ss.

tio ac vastatio similiter atque creatio mundi potentiam Iahve manifestat, qui solus potens est eam ad „silentium servandum" redigere, i. e. potentissimam illa aetate Aegyptum Hebraeis innoxiam reddere [1]).

β) *Leviathan* (Iob 3, 8; 40, 25; 41, 26; Is. 27, 1; Ps. 74, 12 ss.; 104, 25 ss.) pariter non est monstrum mythologicum, sed solummodo crocodilus ex Nilo. Qui licet nulla humana potestate in servitium redigi possit, attamen uti a Deo creatus et animo impavido a Deo praeditus proponitur. Describens praestantiam Leviathan vi humanae scriptor, animo intendit imbecillitatem hominis relate ad omnipotentiam Dei expressius demonstrare [2]). Quae explicatio non solum nullam vim textui infert, sed etiam contextui maxime conformis est, Gunkel autem ad placita sua firmanda ipsum textum mutare conatus est [3]).

γ) *Behemoth* (Is. 30, 6; Ps. 68, 31; Iob 40, 19 ss.) Gunkel item monstrum mythologicum esse putat [4]). Sed textus Iob 40, 19-24, quo Gunkel nititur, uti principali argumento, indicat esse solummodo hippopotamum, initio temporum a Deo creatum [5]).

δ) In variis Veteris Testamenti textibus invenitur mentio *draconis* (Ps. 44, 20; 103, 28; 148, 5 ss.; Ier. 51, 34. 36. 42; Ez. 29, 3-6; 32, 2-8; Iob 7, 12), quem Gunkel monstris mythologicis, ex mytho Marduk mutuatis adnumerat.

Notandum tamen est, draconem ubique in Veteri Testamento Dei creaturam, non autem monstrum mythicum Deo inimicum exhiberi; nam in Gen. 1, 21 et in Ps. 103, 26 expresse dicitur, Deum creasse draconem; in Ps. 148, 5 ss. draco pariter Dei creaturis adnumeratur. Ipse Gunkel concedit quidem, draconem Ex. 29, 3-6 et 32, 2-8 crocodilum esse, sed dubitat, utrum sit simplex crocodilus, an monstrum

---

[1]) Fusius cfr *Kirchner*, Op. l., p. 28 ss.; praeterea: *Nikel*, Gen. u. Keil., p. 90 ss.; *Strack*, Op. l., p. 7.

[2]) Ibidem.

[3]) Sch. u. Ch., p. 59, in adnot.

[4]) Sch. u. Ch., p. 61 ss.

[5]) *Kirchner*, Op. c., p. 37; *Nikel*, Op. c., p. 96.

mythologicum, licet ibi expresse indicetur, sub specie crocodili pharaonem aegyptium subintelligi. Ps. 44, 20 item respicit pharaonem Nechao, qui ad Megiddo regem Iosiam vicerat[1]).

ε) Gunkel eiusque asseclae argumentum ad dependentiam idearum Hebraeorum a mytho Marduk probandam sumunt denique ex illis Veteris Testamenti textibus, in quibus de *mari primigenio* est sermo (Ps. 104, 5-9; 33, 6-8; 65, 7 ss.; Ier. 5, 22; 31, 35; Iob 38, 8-11; Prov. 8. 22-31). In omnibus his textibus, secundum opinionem Gunkel, idea exprimitur, coarctationem illius maris, a Iahve factam, creationem praecessisse.

Attamen haec immerito asseruntur, quoniam sensus textuum laudatorum in eo potius consistit, quod mare primigenium a superficie terrae a Deo amotum atque in spatio sibi in universo destinato locatum erat[2]). Praeterea nullibi in Veteri Testamento invenitur mentio inimicitiarum ex parte maris primigenii erga Iahven, qui semper illimitata potestate omnipotens universitatis rerum dominus proponitur.

Perspectis Veteris Testamenti textibus, quos laudati critici in favorem theoriae suae adducunt, concludimus, hos textus minime originem narrationis biblicae a mytho babylonico demonstrare. Cum Clarissimo prof. Zapletal[4]) ad summum concedi potest, in nonnullis horum textuum (Ps. 89, 10 ss.; Iob 26, 12 ss.; 9, 13; Eccli. 43, 23 Vg. 43, 25; Ps. 74, 12 ss), in quorum contextu sermo de tempore creationis sit, virtutem Dei creatricem in chaos per Eius pugnam cum monstro Tiamat poetice proponi. Ipse poeticus modus proponendi fortassis a poeticis notionibus babylonicis aliquatenus dependet; nam ideae babylonicae simul cum lingua, quae ut ex litteris Amarnensibus patet, late divulgata erat. sine dubio in alias regiones penetrabant et in

---

[1]) *Kirchner*, Op. l., Ibidem.
[2]) Sch. u. Ch , p. 99 ss.
[3]) Cf. *Kirchner*, Op. l., p. 44.
[4]) Op. l., p. 129.

sermonem vulgarem tempore, quo illi Veteris Testamenti libri oriebantur, vim exercebant[1]).

Proinde scriptores ss., qui populum docere et ab eo intelligi volebant, doctrinam inspiratam in forma captui coaevorum accomodata proponebant; at in hisce etiam textibus, ex variis Veteris Testamenti libris excerptis, dependentia doctrinae eorum a poemate „Enuma eliš“ nullo modo putari nedum asseri potest, cum essentiale discrimen intercedat, nam ibi Marduk necessitate coactus est pugnare potestatis sibi vindicandae causa, in Veteri Testamento autem ne vestigium quidem huius ideae inveniri potest.

b) Deinde vestigium mythologici dei lucis Gunkel animadvertit, *tenebras* in Gen. 1 neque a Deo creatas neque bonas esse laudari, dum secundum ideas Hebraeorum (Is. 45, 7), eius opinione, Deus sit creator lucis ac tenebrarum[2]).

Attamen tenebrae etiam in cosmogonia biblica creatae esse dicuntur, nam in principio Deus coelum et terram creavit (1, 1); terra vero creata tenebris erat involuta (1, 2); igitur tenebrae cum terra creatae sunt.

Ratio, cur illae non dicantur bonae, probabiliter haec est, quod tenebrae non sint ens quoddam positivum; omnes homines tenebras aliquid negativum, defectum lucis esse facillime intelligunt.

Quod apud Is. 45, 7 Deus creator lucis ac tenebrarum esse dicitur, uti locutio poetica, sensu stricto non est intelligenda, nam Deus eo sensu creator tenebrarum dici potest, quatenus lucem removendo tenebras producit; ortum ac occasum solis efficiens, exstinctionem ac ortum tenebrarum producit.

Breviter, in biblica tenebrarum descriptione nil deprehenditur, quod mythologiam redoleat.

---

[1]) De influxu religionis babylonicae aliarumque vicinarum gentium posterioribus temporibus historiae Hebraeorum ipsae ss. Litterae manifeste testantur, v. g. Iud. 2, 11 ss.; 1 Sam. 12, 10; 3 Reg. 18, 18; 4 Reg. 10, 23 etc.

[2]) Sch. u. Ch., p. 8.

c) Sequentem notam mythologicam Gen. 1 Gunkel observat in notione *incubantis Spiritus Dei*[1]; in nonnullis cosmogoniis gentium spiritus ex aquis ovum produxisse narratur, ex quo cetera formata sint; in cosmogonia biblica Spiritus Dei aquis incubans describitur.

Sed ex una voce מרחפת concludi non potest, ideam Gen. 1 de Spiritu Dei aquis incubante ex mythologicis narrationibus gentium provenire. Quae notio eo explicari potest, quod scriptor Gen. 1 usus est tali imagine ex vita quotidiana desumpta, ut sensibiliter relationem invisibilis Spiritus Dei ad materiam originariam proponeret[2].

Praeterea illa difficultas, a Gunkel opposita, ex communi in hac re fonte[3], quem variae cosmogoniae supponunt, solvi potest, cosmogonia enim biblica, aegyptia, phoenicia non dependent a cosmogonia Indorum, qui procul ab his vivebant, et nihilominus ex utraque parte eadem idea occurrit; quapropter communis fons, independens a mytho babylonico, invenitur, ex quo illa notio desumpta est.

d) Gunkel comparat omnipotens *verbum Dei* in biblica narratione cum virtute verbi Marduk[4] atque ex similitudine inter ea intercedente concludit, hanc notionem Gen. 1 a mytho babylonico dependere; in poemate „Enuma eliš“ enim dicitur, deos congregatos potentiam Marduk explorare voluisse, antequam ille ad pugnam contra Tiamat progrederetur; quem in finem vestem coram illo posuisse, ut Marduk verbo suo illam disparere faceret, et deinde iterum apparere efficeret; cum Marduk hoc perfecisset, deos de potentia defensoris causae eorum valde gavisos esse (IV tab.).

Utique concedendum est, quandam similitudinem inter verbum Dei et „verbum“ Marduk deprehendi; nihilominus tanta inter ea differentia animadvertitur, quae qualemcumque dependentiam excludit, nam locutio (verbum) Dei in

---

[1]) Sch. u. Ch., pp. 7-8; Gen., p. 104.
[2]) Cf. *Nikel*, Op. c., p. 73.
[3]) Cf. infra, p. 98.
[4]) Sch. u. Ch., p. 115.

cosmogonia biblica est tantum anthropomorphica manifestatio voluntatis divinae, qua Deus universitatem rerum ex nihilo producit et proinde haec locutio vi omnipotenti gaudet[1]). Effectus locutionis divinae in Gen. 1 minime ab ipso verbo vel pronuntiatione dependet, sed ille statim producitur, quatenus per locutionem Dei voluntas manifestatur, quae sola est principium et causa efficax creationis. Scriptor sacer rem ita exprimit, ut fit ordinarie ab hominibus, qui voluntatem suam plerumque verbo manifestant[2]).

Verbum autem Marduk, quo pronuntiato vestis disparet et reapparet, est adiuratio, nam eiusdem effectus ab ipsa pronuntiatione et versutia et dexteritate dependet[3]) ac proinde non semper effectum producere valet; hanc ob causam dii potentiam Marduk ope vestis explorant et valde gavisi sunt, cum experimentum bene successisset.

Praeterea vis verbi Marduk est valde limitata, nam ille materia praevia indiget, neque in pugna cum Tiamat, neque in formatione mundi eo utitur.

Ex hisce patet, inter utramque narrationem hac in re intercedere essentiale discrimen, quod sententiam Gunkel reiiciendam suadet.

e) Gunkel[4]) eiusque fautores[5]) notis mythologicis adnumerant *divisionem maris* primigenii in narratione Gen. 1; illam notionem ex mytho babylonico, in quo scissio Tiamat a Marduk facta describatur, transplantatam esse asserunt.

Attamen quamquam inter utramque narrationem deprehenditur similitudo, quae in ortu coeli et terrae per divisionem materiae primigeniae in duas partes consistit, notandum tamen est, eandem ideam etiam apud alias antiquas gentes, ut Aegyptios, Phoenices, Indos inveniri, licet v. g.

---

[1]) *Kirchner*, Op. c., p. 17 ss.; *Gunkel*, Genesis, p. 105.

[2]) *Nikel*, Gen. u. Keil., p. 110; *Kaulen*, Der biblische Schöpfungsbericht, p. 30.

[3]) *Kirchner*, Op. c., p. 13.

[4]) Sch. u. Ch., pp. 7, 119.

[5]) v. g. *Holzinger*, Genesis, p. 17.

idea Indorum de origine mundi certe a mytho babylonico non dependeat. Ipsi Israelitae repraesentabant sibi aquam desuper firmamentum, quae in terram cadit, cum Deus cataractas coeli aperit (Ps. 148, 4; Gen. 7, 11; 4 Reg. 7, 2. 19). Distinctio itaque aquarum superiorum et inferiorum, proinde similitudo inter utramque partem bene explicatur antiquis ideis cosmologicis. In antiquitate, de qua hic est sermo, universum ex duabus principalibus partibus compositum esse putabatur, ideo divisionem materiae originariae in duas partes ad mundi formationem necessariam fuisse censebatur[1]). Exinde etiam idea babylonica scissionis Tiamat intelligi potest. Secundum recentiorem criticam explicatio huius rei ex pluviis aliisque eventibus, initio anni provenientibus, regioni Babyloniorum minime convenire potest, sed haec difficultas potius ex communi notione populari antiquarum gentium explanatur[2]). Quae idea cosmologica similis est v. g. notioni antiquorum de soliditate firmamenti, de lucis origine ante solem vel ideae populari etiam hodiernae de motu solis, quae tamen accomodationes ad sensa popularia notioni inspirationis prorsus non detrahunt.

f) Nullius momenti est pariter obiectio Gunkel[3]) quod *plantae et arbores* non dicantur a Deo creatae esse, sed a terra productae, nam ipse Gunkel recte animadvertit[4]), descriptionem hanc externa observatione fundari, scilicet, novas plantas quovis vere a terra produci, quapropter ad hoc physicum phaenomenon explicandum non est opus ad mythologiam recurrendi.

Praeterea scriptor sacer stricte non distinguit inter locutiones: „*terra producat*“ et „*Deus creavit*“, quod patet ex creatione aquatilium et animalium terrestrium: versibus 20 et 24 dicitur: „*aqua producat*“, „*terra producat*“, statim autem versibus, qui sequuntur: 21 et 25, cum adimpletio

---

[1]) *Kirchner*, Op. c., p. 47; *Nikel*, Op. c., p. 75.

[2]) *Zapletal*, Op. c., p. 105.

[3]) Sch. u. Ch., p. 8.

[4]) Ibidem, p. 9.

mandati repetitur, hagiographus adhibet expressiones: „*Deus creavit*“ et „*Deus fecit*“, nempe immediatam creationem denotantes. Nullum igitur exinde argumentum contra cosmogoniam biblicam deduci potest.

g) Porro Gunkel in cosmogonia biblica vestigium antiqui *cultus astralis* deprehendit in destinatione solis et lunae ad diem noctemque „regendam“, quam ideam ex babylonico cultu astrali derivat[1]).

Attamen destinatio astrorum, in Gen. indicata, evidenter respondet muneri, quod luminaria coelestia reapse exercent; illa de facto etiam tempus „disponunt“, scilicet, indicant. Insuper inter luminaria coelestia cosmogoniae biblicae et religionis babylonicae essentiale discrimen intercedit, nempe in Gen. 1 astra uti creaturae ad tempus indicandum et terram illustrandam destinata describuntur, illic autem astra sunt principales species deorum.

Quod lux in cosmogonia biblica prima die ponitur, cum astra nonnisi quartae diei assignata sint, haec difficultas secundum opinionem Gunkel, ex babylonico tantum polytheismo sufficienter solvi potest, nam in poemate „Enuma eliš“ lux ante deum Marduk apparet, hic autem iam astra creat, quia lux ad substantiam seniorum deorum pertinet, Marduk autem, utpote ex numero iuniorum deorum, oritur luce iam praesente[2]).

Quae tamen assertio Gunkel fundamento prorsus caret, nam rursus notiones vulgares illius temporis inspicientes, comperimus, ideam lucis a sole, luna, stellis omnino independenter existentis, antiquitus universalem fuisse[3]). Qua de re apud Israelitas cfr Iob 38, 18-19; Ier. 10, 13.

Ex hac vulgari notione explicatur etiam existentia peculiaris dei lucis apud Babylonios, qui praeter deum solis et deos stellarum, alium distinctum deum lucis colebant. Ipse

---

[1]) Sch. u. Ch., pp. 9. 116.
[2]) Sch. u. Ch., p. 116.
[3]) Cfr supra, pp. 21-22.

Gunkel in posteriori opere: Genesis [1]) affirmat, eandem ideam etiam apud Indos, Graecos, Phoenices aliasque gentes divulgatam fuisse.

Lux, prout quotidiana experientia docet, est necessaria conditio vitae et ordinis, quapropter in cosmogonia biblica ipso initio creationis ponitur, coelestia luminaria autem ad distinctarum regionum „exercitum" pertinent, proinde secundo triduo assignata sunt.

h) Gunkel in creatione *animalium terrestrium* ex utraque parte eundem ordinem deprehendit, scilicet, in cosmogonia biblica et in mytho babylonico adsunt: iumenta domestica, bestiae ferae, reptilia terrestria [2]).

Attamen in poemate „Enuma eliš", quantum illud hodie per effossas, sed passim iniuria temporis laesas, tabellas notum est, reipsa de creatione animalium terrestrium nihil dicitur. Separatim autem inventum fragmentum [3]), quod creationis animalium mentionem facit, et ex quo Gunkel laesum textum supplet, ad poema „Enuma eliš" non pertinet, quapropter basis ad comparationem instituendam evanescit.

i) Totam seriem notarum mythologicarum Gunkel animadvertit in narratione Gen. 1 *de creatione hominis* [4]):

α) Imprimis praedicatum in plurali: „*faciamus*" (1, 26) iungitur cum nomine אלהים, quod cooperationem ceterorum אלהים innuit atque polytheismi vestigium constituit.

Quod pluralem numerum אלהים spectat, respondendum est, hanc vocem apud Israelitas pariter illis temporibus adhibitam esse, cum certe unum Deum exprimere intenderent atque polytheismum expresse impugnarent. Proinde

---

[1]) 3 ed. 1910, p. 105.
[2]) Sch. u. Ch., p. 116.
[3]) Cfr Ibidem, p. 145.
[4]) Sch. u. Chaos, pp. 9-12; Genesis, p. 111.

concludi potest, hanc vocem אלהים simili significatione etiam in Gen. gaudere.

Insuper post effossas perlectasque litteras Amarnenses amplius affirmari non potest, illud nomen polytheismum Hebraeorum probare, nam in litteris ex Palaestina ad pharaonem missis, ille solus item „Elohim" appellatur[1]).

β) Gunkel eiusque fautores vestigium polytheismi invenire conantur in plurali verbi: *„volumus facere, faciamus"* (1, 26).

Attamen omnes critici, narrationem biblicam ex mythis gentilibus educentes, concedunt, imo affirmant, notiones polytheisticas ac ideas sensibus Israelitarum adversantes a scriptore Gen. 1, utpote monotheismo addictissimo, diligenter expunctas esse. Nihilominus hic loci hagiographus praedicatum in plurali intactum reliquit; concludendum ergo est, illam expressionem nec ab ipso scriptore, nec ab eiusdem coaevis polytheisticam habitam esse[2]).

γ) Porro Gunkel in eadem descriptione instat, expressionem, quod homo ad *imaginem*[3]) Dei creatus asseratur, esse mythologicam, cum illa locutione Deo species corporalis, ut in cosmogoniis gentium adscribatur.

Attamen locutione *„ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram"* spiritualem affinitatem hominis cum Deo significari est opinio insignium exegetarum, v. g. Hoberg, Zapletal, Hummelauer, Strack aliorumque[4]) atque maxime scriptori Gen. 1 convenit. Etenim rem primo ex parte Dei considerando admittendum est, similitudinem vel solummodo, vel saltem principaliter in qualitatibus spiritualibus consistere, nam Deus corpus non habet, sed est purus spiritus. Spiritualitas Dei in cosmogonia biblica in dubium vocari

---

[1]) *Zapletal*, Op. l., p. 46.

[2]) Quomodo pluralis numerus praedicati explicandus sit, cfr supra pag. 29-31.

[3]) Sch. u. Ch., p. 11.

[4]) Ad. h. l.

non potest; licet a nonnullis criticis in Gen. 1 vestigium antiquae sensibilis ideae de Deo deprehenderetur, haec tamen deduci non potest ex similitudine, quae homini cum Deo adiudicabatur, Deus enim in Gen. 1 uti potentia creatrix et sapientia percipitur; quapropter homo secundum Gen. 1 Deo similis est solummodo in qualitatibus spiritualibus. Eiusmodi conclusio sequitur, si res ex parte Dei consideratur.

Investigatio ex parte hominis pari modo ad eandem conclusionem eruendam compellit:

Siquidem nec plantae, nec animalia ad imaginem Dei creata esse dicuntur, sed solus homo, cui appellatio „ad imaginem Dei“ tribuitur propter singularem praestantiam, quae homini prae aliis creaturis inest; praestantia haec in natura rationali[1]) seu qualitate spirituali consistit.

Eadem idea apud gentes occurrit: Graeci affinitatem spiritualem exprimere intendebant, cum homines esse filios Dei dicerent vel cum de elemento divino homini insito dissererent.

Etiam cosmogonia babylonica secundum Berosum formationem hominis ex terra sanguine dei admixto enarrans, internam ac spiritualem similitudinem inter deos et homines exprimit, quoniam sanguis inter orientales censebatur esse principium, in quo anima potissimum resideret.

Equidem concedendum est, deos in mythis antiquarum gentium specie externa saepissime homini similes habitos et expressos esse. Attamen huius notionis causa erat non, quod homo forma sua externa similis Deo creatus esse putaretur, sed quod potius homines effingebant sibi deos externa humana forma, cum hos sibi sensibiliter exprimere vellent[2]).

Quae explicatio etiam eo probatur, quod dii saepe sub specie quidem animalium vel bestiarum fingebantur atque eorum simulacris exprimebantur.

---

[1]) Cf. supra p. 35.

[2]) *Nikel,* Op. l., p. 80.

δ) Quod per *benedictionem* hominibus facultas procreandi ac multiplicandi atque dominium super omnes creaturas collata sunt, id antiqua mythologica idea a Gunkel'o esse putatur[1].

Attamen compertum est, populum Hebraeorum ad Deum omnia retulisse atque ab Eo deduxisse; proinde indoli Hebraeorum maxime convenit praefatas facultates ab antiquo Dei mandato derivare[2].

Itaque in explanando haec superfluum est ad mythologiam recurrere, eo magis, quod in nullo antiquorum mythorum idea conferendi aliquid per benedictionem deprehendi potest.

k) Deinceps Gunkel mythologicam ideam reperire conatur in eo, quod hominibus et animalibus vegetalia alimento tribuuntur (1, 29 s.). Gunkel ibi deprehendit vestigium mythi de „*aurea aetate*", cum pax universalis regnabat, quae etiam apud Is. 11, 6-9; 65, 25 depingitur[3].

Utique concedimus, in mythis nonnullarum gentium, v. g. apud Romanos[4], Graecos, Persas inveniri descriptiones primitus vigentis status felicis, quo pax regnaret, quo nec homines, nec bestiae inter se pugnarent, cum natura per se ipsam omnia ad vitam necessaria praestaret.

Ad quam ideam paulisper Gen. 1, 29 s. accederet, si ibi usus carnis vetitus esset, quod tamen vetitum in Gen. 1. non invenitur[5].

Descriptiones tandem Isaiae, ad quas Gunkel provocat non sunt, nisi poëticae narrationes temporis messianici ac proinde sensu typico, non mythologico intelligendae sunt: id est, afflicto Israeli propheta promittit aevum quietis, cum ipsa natura pacem optatissimam praebebit.

---

[1]) Sch. u. Ch., p. 12.

[2]) *Nikel*, Ibidem.

[3]) Sch. u. Ch., pp. 12-13; Genesis, pp. 113-114.

[4]) *Ovidius*, Metamorph., 15, 96 ss.

[5]) Cfr supra p. 37.

l) Quod deus creatione peracta, res creatas perlustrans, eas esse *bonas* dicat, id Gunkel[1]), in comparatione cum mytho babylonico characteristicum sensum obtinere, arbitratur, mythum enim babylonicum in prolixo hymno benignitatem dei Marduk laudare, propterea, quod terribile monstrum occiderit mundumque creaverit. Qua approbatione insignem anthropomorphismum comprehendi, cum possibilitas nullius successus supponatur[2]).

Attamen comparatione inter utramque narrationem instituta magna differentia etiam ex hoc capite percipitur: nam licet ibi Marduk ob magna in mundo gesta laudetur, ipse tamen mundus minime appellatur bonus.

Secundum ideas Babyloniorum victoria Marduk de Tiamat seu de inimica vi chaotica, quae antea supremo dominio gaudebat, reportata non erat plena, cum semper ab ea magnum periculum immineret.

In Gen. e contrario, opera absoluta Deus perspiciens, omnia valde bona esse seu ideae divinae perfecte respondere dicit.

Possibilitas vero nullius successus ex contextu et circumstantiis historicis prorsus excludenda est, Deo enim, qui solo verbo neque quoquam resistente creasse dicitur, opus aliquod minus feliciter evenire potuisse ipsumque ob hanc causam opera singula examinasse, absurde asseritur.

Praeterea approbatio, qua omnia creata a Deo esse bona perhibentur, finem moralem prosequitur, scilicet, problema mali in mundo existentis dilucidandi: etenim iam temporibus hagiographi in populo, praesertim in nonnullis eiusdem classibus, ideae pessimisticae sat divulgatae erant[3]), quae una cum cultura atque ideis Babyloniorum in regiones vicinas penetrabant.

De hoc problemate cosmogonia biblica plane aliter sentit, ac mythus babylonicus, idque alio modo solvit.

---

[1]) Sch. u. Ch., p. 116.

[2]) Ibidem, p. 12.

[3]) *Nikel,* Op. l., p. 80.

Secundum ideas Babyloniorum malum ab initio in mundo haeret et continuo cum mundo connexum est; cuiusmodi idea apud Babylonios perspicua est iisque omnino congruit, quippe quae cum dualismo eorum stricte iungatur.

In cosmogonia biblica autem diversa prorsus notio adest: scriptor Gen. 1 demonstrare conatur, mundum et omnia creata a Deo esse bona et ad finem suum perfecte accomodata, imo etiam cum emphasi repetit, mundum valde bonum esse. Narratio biblica proinde ideam de bonitate mundi et universitatis rerum opponere intendit dispersis ideis pessimisticis, quas indirecte refutat. In capitibus sequentibus hagiographus explanat, pravam superbiam hominum fontem omnium malorum fuisse.

Ergo etiam ex hoc capite opinio de mutuatione narrationis Gen. 1 ex mytho babylonico caret fundamento.

m) Denique Gunkel narrationem Gen. 1 de Dei *quiete* post absolutam creationem ideis Israelitarum prorsus non convenire putat. Quem anthropomorphismum antiqua traditione mythologica niti et exinde etiam a scriptore Gen. 1 depromptum esse[1]).

Attamen probatum non est, quietem Dei septima die ideis Iudaeorum non respondere; Deus operatur in Veteri Testamento, scriptis postexilicis non exclusis, etiam post creationem mundi, in quo nulla adest contradictio narrationi Genesis; aliud enim est creatio, aliud operatio[2]).

Deus post creationem operari prosequitur, creaturas conservans easque ad scopum suum dirigens, simul tamen requiescit, quatenus opera nova non creat.

Ergo illa locutio de quiete, utpote cessatione a creatione, cum ideis Israelitarum concordat.

Cum cessatione Dei a creatione cohaeret institutio *sabbati* שבת (Gen. 2, 3), quod Gunkel[3]) eiusque asseclae ex

---

[1]) Sch. u. Ch., p. 14.

[2]) *Nikel,* Op. l., p. 83.

[3]) Sch. u. Ch., p. 13 s.; 119; Genesis, p. 115 s.

Babylonia derivant ea ratione, quod etiam ibi festa erant, quae „šabattu“ vel „šapattu“ appellabantur.

Attamen hic pariter dependentia non intercedit.

Quid fuerit babylonicum „šapattu“, indicat 32ª tabella IVⁱ tomi in opere: „The Cuneiform Inscription of Western Asia“ [1]); textus tradit praecepta, quomodo agendum sit 7ª, 14ª, 19ª, 21ª, 28ª diebus Elul [2]) mensis; 33ª tabella exhibet similem textum, respicientem Arahsamu (Marchešvan) [3]) mensem. Itaque textus adnotat opera, a quibus illis diebus abstinendum erat: „Infausti dies. Ne pastor numerosi populi (= rex) carnes in igne assatas nec aliud quid tumuru (?) conditum edat, nec vestimentum sui corporis mutet, nec vestem candidam induat, nec sacrificium immolet. Rex currum suum ne ascendat, nullum decretum statuat. Sacerdos loco secreto nullum oraculum enuntiet, medicus in nullum aegrotum manum ponat . . .“ [4]) Itaque hi dies apud Babylonios putabantur dies mali, infausti; hi dies, cum semper determinatis diebus cuiusvis mensis celebrarentur, a mutationibus lunae dependere videntur, quapropter non possunt comparari cum sabbato israelitico, quod semper eadem septima quaque die celebrabatur [5]). Igitur discrimina inter utramque partem deprehenduntur haec:

α) Sabbatum Israelitarum est septimus quisque dies post ultimum sabbatum elapsum, qui ordo perpetuo absque ullo respectu ad menses et annos observatur. Babylonii autem celebrabant dies 7, 14, 21, 28 cuiusvis mensis et insuper 19ᵘᵐ.

β) Dies sabbati apud Iudaeos erat dies laetitiae; apud Babylonios autem erat dies malus et infaustus; quo regem, sacerdotem, medicum munere suo fungi nefas erat [6]).

---

¹) London 1891.

²) VIᵘˢ in anno, circiter a medio augusto usque ad medium septembrem.

³) VIIIᵘˢ mensis anni.

⁴) *Тураевъ*, Исторія древняго востока² I. 143; *Schrader-Zimmern-Winckler*, Die Keilinschriften und das A. T.³, p. 593; *Vigouroux*, Dictionnaire de la Bible, Sabbat V, 1292.

⁵) *Jeremias*, Op. l., p. 184.

⁶) Cfr textum tabellae.

γ) Sabbato Iudaeorum sacrificia frequentiora offerebantur, quae apud Babylonios illis diebus prorsus interdicebantur.

δ) Sabbatum in Veteri Testamento ubique dies quietis proponitur; apud Babylonios autem illi dies negotiosi erant[1]).

Praeterea recentes critici, v. g. Strack[2]), dubitant an hi dies Babyloniorum revera „šapattu" appellati sint, quapropter nec similitudo ipsius nominis solide fundata est; alii ut Pinches[3]), Zimmern[4]), Delitzsch[5]) existimant, illo nomine solummodo 15^{am} diem cuiusvis mensis vocatam esse (sa-patti = dies medii mensis).

Qua comparatione inter sabbatum Israelitarum et memoratos dies Babyloniorum instituta, apparet ingens discrimen, quod nobis persuadet, dies babylonicos minime fuisse exemplar sabbati biblici[6]).

Quod ipsam sabbati originem spectat, antiqua est quaestio inter exegetas, an sabbati institutio ad ipsum mundi exordium revocanda sit praecepto divino ac proinde apud Adam primasque ex eo descendentes familias iam viguerit.

Profecto communis fere est veterum theologorum et complurium recentiorum Hebraeorum doctorum sententia, munita Gen. 2, 2 sabbatum ab Adamo ceterisque patriarchis religiose fuisse observatum.

Iam Philo (De opificio mundi) plane apertis verbis asseruit, sabbati festum non peculiare tantum Iudaeis, sed mundo universo commune fuisse, quod proinde publicum orbis terrarum festum appellari posset.

Communem interpretum sententiam Scriptura s. confirmare videtur: nam Moyses, cum primum Iudaeis diem sab-

---

[1]) *Hoberg*, Babel und Bibel, p. 24.

[2]) Genesis, p. 10.

[3]) apud *Strack*, Ibidem.

[4]) Zeitschrift d. deutschen Morgenländ. Gesell. 1904. pp. 199 ss. 458 ss. (Ibidem).

[5]) Babel und Bibel, p. 65.

[6]) In posteriori opere suo „Genesis" (p. 115) ipse Gunkel de babylonica origine sabbati dubitare videtur, nam dicit, sabbatum solummodo „probabiliter esse babylonica origine".

bati observandum praecepit, non tamquam mandatum novum, sed ut rem iam in usu positam praescribere videtur (cf. Ex. 16, 23).

Praeterea idem patet ex collectione mannae, quae sexto die duplo colligebatur, sabbato autem in terram non cadebat[1]).

3. Hucusque theoriam de babylonica origine narrationis biblicae Gen. 1 refutare conati sumus, indicando, singulas assertiones et placita Gunkel eiusque fautorum solido fundamento carere.

In demonstratione ad eventus tantum *parallelos* attendimus, scilicet, eos, qui tum in cosmogonia biblica, tum in mytho babylonico describuntur.

Praeterea in utraque narratione animadvertuntur quaedam ideae, quibus altera narratio prorsus caret, quaeque iam compertum inter eas discrimen adhuc magis augent.

Investigatio eiusmodi notarum tertiam partem opinionis Gunkel aliorumque refutandae constituit.

Primo igitur indicandae sunt notiones mythi babylonici, quibus narratio biblica caret; tum notae Gen. 1 mytho babylonico alienae ostendendae:

a) In mytho Babyloniorum deprehenduntur notae, quae in Gen. 1 prorsus deficiunt:

α) *Phantasticae prosopopeiae*, i. e. dramatica expressio eventuum naturalium, personificatio virium, naturalium, quae loquentes vel agentes repraesentantur. Dii hic inter se rixantur, timent Tiamat; in consilium congregati hominum instar inebriantur.

β) *Pugna* inter deos, quae est magni momenti in traditione babylonica, nam Marduk mundum formare non valet, nisi victoria de Tiamat reportata. Antequam proelium init, diligenter se praeparat, armatur, simul tamen victoriae incertus est.

---

[1]) *Flunck*, Expositio in Genesim, II p. 95.

γ) Mythus babylonicus insignitus est, nota localitatis et *eventus politicos* quodammodo reproducit[1]).

In narratione biblica autem nullum vestigium harum idearum animadverti potest.

b) In narratione Gen. 1 observantur notae, quae in mytho babylonico non inveniuntur:

α) Creatio voce ברא expressa est, quae Gen. 1 productionem ex nihilo involvit[2]).

Attamen significatio verbi ברא de creatione ex nihilo Gen. 1, 1 communiter a catholicis interpretibus recepta, nonnullis recentibus criticis, ut Holzinger[3]), Wellhausen[4]), Dillmann[5]) aliisque multum displicet.

Proposita igitur alia lectione: ברא (bero — creationis, cum crearet . . . v. 3. Tum Deus dixit: fiat lux — quae praeexistentiam chaos supponit) illi probare conantur, initio Genesis nullum esse sermonem de veri nominis creatione, sed de formatione rerum ex materia iam praeexistenti. Argumenta eorum reducuntur ad ea, quae sequuntur[6]):

αα) Ideam creationis ex nihilo Hebraeis plane ignotam fuisse.

ββ) Mundum secundum opinionem antiquorum ex materia quadam informi, quae Gen. 1, 2: תהו ובהו, Sap. 11, 18: *ἄμορφος ὕλη* appelletur, a Deo efformatum esse.

γγ) In altera narratione de creatione mundi (J) loco ברא poni עשה (Gen. 2, 4) et יצר (Gen. 2, 8); quinimo etiam in P verba ברא et עשה promiscue adhiberi: Gen. 1, 21. 25. 26. 27.

δδ) Primitivam verbi ברא significationem fuisse: cecidit secuit, secando effinxit; quapropter creationem ex nihilo ea non exprimi.

---

[1]) Cfr p. 46.

[2]) Cf. supra, pp. 16-17.

[3]) Genesis, p. 2.

[4]) Prolegomena, pp. 321, 411.

[5]) Genesis, p. 17 s.

[6]) Cf. *Zapletal*, Op. l., pp. 21-25.

Ad quas obiectiones respondendum est:

αα) Ideam creationis ex nihilo Hebraeis ignotam fuisse nequaquam asseritur. Non ambigua huius notionis vestigia in ipsis Litteris sacris inveniuntur: Ita 2 Mach. 7, 28 mater septem filiorum minorem natu ante martyrium alloquens diserte hanc ideam exprimit[1]). Verba illa sunt quidem mulieris ex plebe. Si igitur conceptus creationis ex nihilo tempore Machabaeorum rudi mulieri notus iam fuerat, hanc notionem multo antea apud Iudaeos apparuisse censendum est. Cum ex altera parte, illi critici (Wellhausen aliique) primum caput Genesis codici sacerdotali[2]) (P) adscribant scriptoremque eius virum doctum fuisse putent, ipsorum armis pugnantes, concludimus, nullam esse rationem affirmandi, ideam creationis eidem ignotam fuisse, quae postea iam plebi nota est, praesertim cum etiam apud finitimas gentes vestigia huius ideae multo antiquius inveniantur:

Sic in antiqua narratione aegyptia de mundi creatione traditur, deos solo verbo mundum efformasse.

Pariter apud Babylonios in poemate „Enuma eliš“ (IV tab.) rogatio deorum, deo Marduk directa, ut supremam potentiam suam probet, invenitur:

21 v. „Tua sors, Domine, sit prima inter deos!
22 Destruere et creare, dic et ita erit,
23 Aperi os tuum, vestis erit annihilata,
24 Dic ei: revertere! Vestis erit intacta.
25 (Marduk) locutus est ore suo et vestis disparuit.
26 Et dixit ei: revertere! Vestis denuo facta est.“

Equidem hic agitur non de mundo, sed de veste quadam, idea tamen creationis ex nihilo saltem „en miniature“, prout Cl. prof. Zapletal[3]) bene observat, ex hac narratione elucet.

ββ) Illa ἄμορφος ὕλη (Sap. 11, 18), „materia invisa“ (Vulgatae), haud dubie est platonicus terminus philosophicus;

---

[1]) Cfr supra p. 17.

[2]) Secundum opinionem eorum Codex sacerdotalis definitive exoratus est circa a. 444 ante Christum natum.

[3]) Op. l., p. 23.

sed eum a scriptore l. Sapientiae eodem sensu, quo Plato, adhiberi, minime verum est: initio enim libri Sap. 1, 14 hagiographus diserte docet, Deum omnia creasse: „ἔκτισεν γάρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα", per consequens et materiam; nec ullibi scriptor sacer dicit, illam invisam materiam esse increatam aut aeternam. Ceterum ex contextu ipso apparet, illo loco Sap. 11, 18 agi de creatione, quae a theologis secunda vocatur, qua materia iam existens formatur, non autem de creatione prima, proprie dicta, qua res producitur ex nihilo sui et subiecti, adeo ut sensus illius loci sit, Deum, qui omnes res creasset, contra inobedientes Aegyptios etiam ursos et leones mittere potuisse. Igitur Sapiens hic loci ad creationem secundam seu productionem animalium provocat.

Similiter concedimus, Gen. 1, 2 תהו ובהו primitivam materiam informem designari, sed eam uti increatam a scriptore Genesis haberi non patet; eo magis, quod scriptor biblicae narrationis de creatione mundi ubique ideae monotheisticae maxime addictum se exhibet; Deum unum, uti unicam mundi causam diserte affert omnesque creaturas uni Deo subiicit; quapropter conceptus materiae aeternae atque increatae, quae a Deo originem non habeat, a scriptore Genesis omnino alienus dicendus est.

γγ) Promiscuus usus ברא (creavit) et עשה (fecit) Gen. 1, 21. 25. 26. 27 minime probat, vocem priorem sensu creandi esse destitutam; tanquam magis usu tritum verbum עשה poterat quidem poni pro termino specifico ברא, praesertim locis indicatis, ubi nullum periculum ambiguitatis aderat.

Attamen significationem horum verborum in cosmogonia biblica non confundi, patet satis clare ex Gen. 2, 3 ubi legimus: אשר ברא אלהים לעשות (quod deus creavit faciendo seu operando).

Quod vero attinet ad promiscuum usum ברא et יצר (formavit), hoc argumentum plus etiam claudicat, cum Gen. 2, 8 de creatione corporis primi hominis agatur; quare ibi rectius verbum יצר ponitur, cum corpus humanum ex limo terrae formatum, non autem e nihilo productum sit.

δδ) Vocis significatio non ex sola etymologia, sed magis etiam ex usu loquendi definienda est:

Etenim neminem latet, significationes primitivas vocabulorum a rebus vel actionibus sensibilibus petitas, postea etiam ad res vel actiones pure spirituales designandas servire; v. g. verbum: creare, germanice — schaffen, a radice *σκάπτειν* — excavare, derivatur, licet modo ad designandam operationem per excellentiam spiritualem et divinam adhibeatur.

Concludendum est, laudatos criticos contra communiter receptam significationem verbi ברא tot difficultates movere, cum hac voce mysterium creationis ex nihilo exprimatur.

β) In cosmogonia biblica inveniuntur *tres divisiones*, scilicet, lucis et tenebrarum, aquarum superiorum et inferiorum, aridae et maris, quarum prima et tertia nullam parallelam in mytho babylonico habent et proinde ab eo derivari non poterant. Pariter secunda divisio, nempe aquarum superiorum ab inferioribus, a mytho Marduk independens est, sed bene explicatur tum ex ideis coaevis in Asia propagatis[1]), tum forsitan, utpote cum duabus aliis divisionibus connexa, ex systematica et artificiali dispositione narrationis secundum dies hebdomadis[2]).

γ) Porro in cosmogonia biblica animadvertitur *ordo* omnium operum in sex dies dispositorum, quas subsequitur dies septima seu sabbatum.

Cosmogonia biblica est ordinatum et artificiale systema ad sabbatum adaptatum.

Hexaëmeron in duas partes principales seu duo tridua dividitur, videlicet: creationem regionum et exercituum convenientium. Quod schema proprium est cosmogoniae biblicae, nec simile quidquam ullibi invenitur.

Quod igitur novum argumentum praestat, narrationem biblicam non esse mutuatam ex mytho babylonico, quem ordo similis deficit.

---

[1]) Cf. supra, pp. 79-80.

[2]) Cf. *Nikel*, Op. 1, p. 74 s.

Opinio Hommel[1]. qui cosmogoniam biblicam a mytho quodam chaldaico, cuius argumentum pariter in septem dies dividatur dependere censet, est prorsus arbitraria, cum monumenta antiquae chaldaicae traditionis nec pervenerint ad nos, ut ipse Hommel fatetur, nec reconstitui possint. Hommel quidem chaldaico ordine planetarum innixus hanc traditionem reconstituere conatur, sed cum conclusiones suas aprioristice faciat, opinio eius momento scientifico caret. Etiam ipse Hommel opinionem suam solummodo probabilem esse dicit. Ex eiusmodi igitur coniectura nulla gravis obiectio contra cosmogoniam biblicam erui potest.

δ) Denique cosmogonia biblica exhibet fundamentales *ideas religiosas et ethicas*, enuntiat, mundum omniaque a Deo esse creata eaque esse bona seu ideae divinae perfecte respondere atque esse destinata ad serviendum homini, qui super omnes creaturas a Deo elevatus ac supremus dominus constitutus est.

Quarum notionum in mytho babylonico nec vestigium quidem ullum deprehendi potest, quapropter etiam assertio, scriptorem Gen. mythum babylonicum transplantasse fundamento caret.

Igitur, *primo*, e fundamentalibus discrepantiis inter cosmogoniam biblicam et mythum babylonicum explanatis, *secundo*, ex analysi theoriae Gunkel instituta, *tertio*, ex ideis, quibus altera narratio caret, indicatis, patet, ideas Genesis 1 cum mytho „Enuma eliš“ comparatas, sive sibi oppositas, esse v. g. materiam creatam et aeternam, monotheismum et polytheismum, sive prorsus diversas, v. g. coelestia luminaria.

Externis similitudinibus itaque non obstantibus, essentiale discrimen deprehenditur, quod Gen. 1 aliam originem, atque ex mytho babylonico, quaerere compellit.

---

[1]) Die altorientalischen Denkmäler und das A. T., p. 19.

4. Quae conclusio denique, *quarto*, confirmatur, si prae oculis habentur cosmogoniae aliarum gentium, in quibus praecipuae notae reperiuntur, quas Gunkel in Gen. 1 ex mytho tantum babylonico derivat. Saltem pauca de relatione cosmogoniae biblicae ad narrationes aliarum gentium allata finem theoriae Gunkel imponunt:

In traditione Aegyptiorum invenitur idea chaos ante omnia existentis, ex quo omnia originem sumunt. Deinde etiam ibi chaos sub influxu spiritus in mundum evolvitur. Verbo מרחפת Gen. 1, 2, designante actionem ad instar avis calore suo ova incubantis, simile quiddam in ovo mundano Aegyptiorum animadverti potest. In nonnullis mythis aegyptiis etiam creatio voce peracta deprehenditur, licet vox ibi sensu prorsus materiali et physico sumatur.

Apud Phoenices chaos limosum pariter putatur esse principium, ex quo omnia procedunt. Ovum mundanum etiam hic adest, praeterea invenitur idea de processione totius generis humani ab uno pari.

Similiter etiam in mythis Indorum aqua et tenebrae initio existentes describuntur. Quam primam materiam animavit spiritus sub cuius influxu ovum prodiit. Brahmâ ovum in duas partes scidit atque ex una terram, ex altera coelum formavit.

Apud antiquos Graecos chaos et tenebrae initio rerum statuebantur. Postea pedetentim terra, lux, coelum, mare apparebant. Ordo itaque aliquatenus est similis atque in narratione biblica.

In cosmogonia Persarum invenitur divisio creationis in sex periodos, quae quandam similitudinem cum diebus in narratione biblica exhibet.

Ex his sequitur, praecipuas notas, quas Gunkel eiusque asseclae utpote argumenta ad dependentiam cosmogoniae biblicae a mytho babylonico demonstrandam proponunt, in narrationibus aliarum gentium pariter deprehendi; nihilominus tamen saltem nonnullae earum v. g. Indorum et Aegyptiorum, omnium opinione, a cosmogonia babylonica sunt in-

dependentes. Iure merito igitur notiones illae non necessario aëre babylonico explicandae sunt, sed similitudo inter eas ex alia causa derivanda est, videlicet, ex communi omnibus fonte, ex quo ratio communium notarum in cosmogoniis remotissime inter se viventium et nullum contactum habentium gentium provenit. Igitur hic fons explanandus restat.

E. Origo cosmogoniae biblicae notaeque huius mytho babylonico similes.

1. Scrutantes fata antiquae historiae Hebraeorum, animadvertimus, populum electum fuisse non exculto ingenio, ad ideas vicinarum gentium amplectendas valde pronum atque saepemodo in polytheismum gentium aberrantem.

Ex altera parte cosmogonia Hebraeorum sublimes ideas religiosas exhibet, quibus similes ne apud excultissimos quidem populos antiquos inveniuntur. Religiosae notiones cosmogoniae Hebraeorum propter singularem praestantiam maxime differunt ab ideis religionum gentilium neque a systematibus philosophiae naturalis pendere seu effectus speculativae inquisitionis humanae esse possunt[1]).

Igitur ideae religiosae, quae basim Gen. 1, 1-2, 3 constituunt, indole Hebraeorum considerata, ex causis mere naturalibus procedere non poterant.

Monotheismus cosmogoniae biblicae via evolutionis ex polytheismo derivari non potest, cum ne maxime quidem excultus populus, ut Babylonii cum opulentissimis litteris cuneiformibus vel Aegyptii cum hierogliphicis, naturali ratione et evolutione ad monotheismum se elevavit; eo magis seminomades Israelitae viribus naturalibus mythos gentium

---

[1]) *Kirchner*, Op. l., p. 58.

a polytheismo purgare et sublimem doctrinam de Deo substituere non valebant.

Proinde praeter naturalem humanam rationem et physicorum phaenomenorum observationem, in cosmogonia biblica necesse est admittatur supernaturalis institutio generis humani de Deo et de Eius relatione ad mundum, scilicet, religiosarum notionum Gen. 1 origo nonnisi ex *revelatione divina* deducenda est.

Quae idea antiquis temporibus non solum apud Israelitas, sed vestigia eius etiam in traditione gentium deprehenduntur: Ita sacerdotes indiaci ac aegyptii de mythis et consuetudinibus ac moribus religiosis populum instituentes, haec ab antiqua praeceptione divina procedere affirmabant[1]).

Etiam Plato animadvertit, genus humanum aliquando a diis ipsis institutum esse, quapropter narrationes maiorum non esse negligendas, quippe qui a primitivis illis temporibus propiores melius, quam posteriores ex ipso fonte hauserint[2]).

Quo fonte revelationis divinae religiosa basis Gen. 1 explicatur.

2. Porro nonnullae similitudines inter cosmogoniam biblicam et gentiles ex *communibus ideis cosmologicis*, tunc temporis in Oriente vigentibus, prout in theoria Gunkel refutanda adnotatum erat, originem ducunt.

Ad quas notiones communes pertinent v. g. lux independenter a sole existens, aquae superiores et inferiores, soliditas firmamenti, aquas superiores sustinentis, quae a Deo fenestras vel ostia aperiente in terram pluunt etc.

3. Deinde ad quasdam analogias cosmogoniae biblicae cum gentilibus declarandas *apologetica indoles* Gen. 1 non parum iuvat:

Ideas erroneas, quae in mentes coaevorum propter continuum cum vicinis gentibus contactum penetrabant, scrip-

---

[1]) *Nikel*, Op. 1, p. 10.

[2]) Politicus 271-275, apud *Nikel*, Ibidem.

tor inspiratus corrigere intendit. Mirum igitur non est, si in narratione hagiographi indirectae mentiones notionum gentilium deprehendi possint, quas ille refutare curat. Ita apud vicinos Israelitis populos sol, luna, astra utpote numina colebantur, quinimo in oriente etiam animalia et plantae adoratores suos habebant[1]); proinde scriptor sacer in cosmogonia diserte adnotat, haec omnia esse dumtaxat opera Dei.

Praeterea in oriente tunc temporis erant in usu locutiones, quae propter affinitatem idiomatis, omnibus Semitis termini[2]) technici evenerunt quaeque apud vicinas Israelitis gentes mythologicam significationem nactae sunt, v. g. apud Babylonios adest mythologica mulier Tiamat, quacum deus lucis Marduk pugnat; in Gen. tamen תהום (abyssus) chaoticam tantum materiam designat. Aliae cosmogoniae loquuntur de ovo mundano et spiritu ei incubanti; scriptor autem Gen. 1 mentionem facit de Spiritu sancto, qui super chaotica materia ferebatur, scilicet, dicere solum intendit, Deum ab initio omnipotenter chaos gubernasse et ad futura opera formanda disposuisse.

Selectis igitur scopo apologetico eiusmodi locutionibus scriptor inspiratus eis veram significationem attribuit.

4. Sublimes illas ideas religiosas hagiographus composuit *forma litteraria*, scopo suo adaptata. Quae pars laboris litterarii, nimirum singula dicta et denominationes ac descriptiones, ipsa narrationis litteraria compositio, utpote proventus ingenii humani, a temporis et loci circumstantiis dependere potuit; quinimo in parte litteraria independentia narrationis biblicae a cosmogonia babylonica[3]) vix amplius defendi potest:

Quod scriptor variis fontibus in libro sacro componendo utitur, id inspirationi sacrae Scripturae non adversatur; ita

---

[1]) *Zapletal*, Der Totemismus und die Religion Israels, p. 49 ss.

[2]) *Zapletal*, Der Schöpfungsbericht, pp. 105-106.

[3]) Hisce narrationes Babyloniorum de creatione mundi generaliter intelliguntur.

v. g. scriptores librorum Regum, Machabaeorum aliorumque opera profana antecessorum adhibebant.

Itaque recenter inventae litterae Amarnenses insignem lucem formae litterariae cosmogoniae biblicae attulerunt. Documenta Amarnae effossa, cuneiformi scriptura et babylonica lingua exarata testantur, hanc linguam aevo Moysis in Oriente tum internationalem diplomaticam, tum vernaculam in communi usu fuisse. Quantum lingua babylonica fuerit divulgata et communiter recepta, ex eo patet, quod principes Canaan ac gubernatores praecipuarum urbium Palaestinae, licet imperio aegyptio subiecti essent, in litteris suis tamen ad pharaones missis scripturam babylonicam aegyptiae praeferebant. In lingua addiscenda etiam litteraturam Babyloniorum eorumque ideas mythologicas compertas habuerunt, nam Amarnae chrestomatiae sive manualia ad linguam babylonicam addiscendam inventae sunt, in quibus etiam fragmenta mythorum religiosorum continentur.

Praeter linguam ipsa cultura babylonica pariter magnam vim in vicinas gentes exercebat. Multa exempla huius influxus vita quotidiana illius temporis praebet. In Syria, in Canaan forma vestium, panni, ex quibus hae conficiebantur, color materiae, pictura linearum in vestibus ex Babylonia transplantata sunt. Vita domestica hisce in regionibus praecipue nobilium similis erat ac in Assyria: eadem supellex et vasa, iidem famuli et scribae, idem luxus in vestibus et unguentis animadvertitur[1]).

Cum lingua babylonica et scriptura cuneiformi una ex parte, cum cultura et moribus babylonicis ex altera, pariter ideae religiosae, dii et mythi babylonici divulgabantur. Theologia babylonico-assyriaca, utpote magis exculta, in notiones religiosas vicinarum gentium vim exercebat, ita ut etiam babylonicorum deorum quidam v. g. in Canaan colerentur[2]).

Israelitae linguam et culturam babylonicam didicerunt partim immediate per consuetudines initas, partim vero me-

---

[1]) *Maspero*, Op. l., t. II, p. 153.

[2]) Ibidem, pp. 154 ss.

diate mutuati sunt per Cananaeos vel etiam per Phoenices. Ita Israelitae antiquitus babylonicis mensuris, ponderibus, pecunia utebantur[1]; Israelitae similiter ac Babylonii baculum et annulum signatorium habebant et conventa sigillo obsignabant[2].

Manifestum est, una cum lingua et cultura, ideas quoque babylonicas in mentes Israelitarum penetrasse[3], quas ideas etiam in scriptis divulgatas esse ex mythologicis textibus litterarum Amarnensium patet.

Ergo Israelitae cosmogoniam babylonicam, narrationem de diluvio aliosque praecipuos mythos noverant[4]. Populus vero Hebraeorum, utpote inferior, cum in commercio ac necessitudine cum excultioribus Babyloniis esset, etiam in sermone vulgari mutuatus est locutiones et varias notiones ex lingua babylonica.

Quamobrem scriptor inspiratus, ideas revelatas populo proponens, ut ab eo intelligeretur, adhibet vulgares locutiones[5], denominationes, singulas notiones communiter usitatas, quae sive originem ducere sive peculiarem sensum accipere sub influxu babylonico poterant.

Hinc cosmogonia biblica, licet fundamentalibus ideis religiosis unica sit, forma tamen litteraria aliis cosmogoniis semiticis similis evasit; partem enim litterariam, quae ingenii semitici proventum constituit, inspiratus scriptor pariter ex notionibus popularibus et explicationibus poeticis de creatione haurire poterat, prout scriptores aliorum librorum sacrorum, qui fontes adhibebant, cum sapientiae divinae minime derogatur, si hagiographus ad captum coaevorum se accomodando, eligit imagines, quibus lectores assueti erant[6].

---

[1]) *Benzinger*, Hebräische Archäologie, II Aufl., Tübingen 1907, pp. 188 ss., 81.

[2]) Cuius usus babylonicam originem asserit Herodotus I 195 et Strabo 16, 1. 20. Cfr *Gunkel*, Sch. u. Ch., p. 152, adnotatio.

[3]) Cfr *Hoberg*, Babel und Bibel, p. 8; *Zapletal*, Op. l., p. 131.

[4]) *Gressmann*, Die Ausgrabungen in Palästina und das A. T., p. 15.

[5]) *Zapletal*, Op. l., p. 103; *Nikel*, Op. l., p. 65 ss.

[6]) *Lagrange*, Hexaméron, pp. 405-407.

5. Tali pacto similitudines cosmogoniarum apte explicantur; dissimilitudines autem originem inde ducunt, quod primitivus fons revelatus ex generatione in generationem *per traditionem* propagabatur:

Ideae religiosae apud gentes sub influxu observationis eventuum naturalium et experientiae externae paulatim elemento mythologico obnubilabantur, scilicet, variae gentes eventus naturales et ideas revelatas iuxta conditiones temporis et loci, iuxta culturam et statum suum civilem explicare conabantur; exinde discrepantiae inter notiones cosmogonicas variarum gentium ortae sunt; v. g. vis traditionis deprehenditur in cosmogonia babylonica secundum narrationem Berosi, in qua eventus naturales allegorice describuntur, videlicet, Babylonii in cosmogoniam transtulerunt statum terrae tempore hiemali et vernali, proelium virium naturae tempestate orta, conditionem politicam Babyloniae.

Inspiratus scriptor Genesis, Deo movente et illustrante, primitivam revelationem litteris mandavit, eamque vitiatis traditionibus vicinarum gentium consulto opposuit, quemadmodum in Novo Testamento s. Ioannes doctrinam evangelicam opposuit haeresibus eorum, inter quos christiani vivebant. Authenticae revelationis expositio hagiographo non erat difficilis, cum traditio antiqua fidelius conservata esset apud Hebraeos, utpote populum electum, quam apud alias gentes, nam providentia divina Israelitas sub respectu religioso in conditionibus faustis constituerat.

Qua explicatione admissa, problema affinitatis inter cosmogonias, quae certe a mytho Marduk non dependent, recte solvitur. Quae solutio a pluribus recentibus exegetis, ut ab Hoberg[1]), Nikel[2]), Hummelauer[3]), Kirchner[4]), Hetzenauer[5]), Strack[6]) aliisque defenditur.

---

[1]) Genesis, p. 1 ss.
[2]) Op. l., pp. 10 ss., 260 ss.
[3]) Op. l., p. 79 ss.
[4]) Op. l., p. 58.
[5]) Commentarius in l. Gen., pp. 34-35.
[6]) Op. l., p. 5.

Sola ratio humana et experientia naturalis insufficientes sunt ad sublimes ideas monotheisticas narrationis biblicae producendas, nam, ut diximus, historia teste populus ne excultissimus quidem solis mediis naturalibus ad eiusmodi sublimes religiosas ideas pervenit; nedum populus Israel exigua cultura viribus propriis id facere potuerit.

6. Denique nonnullae difficultates et obscurae notiones in cosmogonia biblica ex *artificiali dispositione* Gen. 1, ab hagiographo de industria facta, proveniunt:

Inspiratus scriptor enarrans, mundum et omnia opera a Deo esse creata, rem divisit in „creationem regionum et convenientium exercituum"; peculiari modo a Deo illustratus omnia Dei opera iuxta sex dies hebdomadis disposuit atque ea conclusit sabbato, quod est divina institutione, utpote dies quietis, lege naturali stabilitus et a Deo sanctificatus.

Quae tamen divisio ac dispositio operum effecit, ut ipsa descriptio cosmogoniae quodammodo obnubilata nobis appareat. Inde lectoribus in cosmogonia biblica, ad hanc clavem non attendentibus, nonnullae difficultates primo obtutu insolubiles afferuntur; attamen non est obliviscendum, milia annorum a compositione Gen. 1 ad nostra tempora distare. Aliter res se habebat Israelitis, Gen. 1 coaevis; nam hi, cum narrationem legerent, non solum ideam principem, systematice expositam, optime intelligebant, sed etiam subtiles adumbrationes cosmogoniae absque ulla difficultate percipiebant, quoniam notiones illae tunc temporis omnium intelligentiae accomodatae erant.

Pars altera.

Prima pars comprehendit conatum stabiliendi historico-popularem indolem cosmogoniae biblicae ex comparatione cum mythis gentium.

Ad genus litterarium Gen. 1 certo determinandum argumenta ex alio capite adiungenda sunt:

Controversiae de indole cosmogoniae biblicae recenter Ecclesia intervenit lege directiva per Commissionem Pontificiam de Re Biblica, quae decretum d. 30 iunii 1909 a. de historico charactere trium priorum capitum libri Genesis, proinde et cosmogoniae, protulit.

Igitur in II parte et quidem brevi:

A. Post textum decreti praemissum.

B. Breviter eius explicatio proponenda est.

C. Tum argumenta, quibus Commissio munita decretum ediderit, proferenda sunt.

D. Tandem corollarii instar ad totum studium, de relatione cosmogoniae biblicae ad scientias physicas res perficienda atque finalis conclusio operi imponenda est.

A. Decretum de charactere historico trium priorum capitum Geneseos.[1])

I. *Utrum varia systemata exegetica*, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri

[1]) Acta Apostolicae Sedis, t. I, pp. 567 ss.

Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur?

Resp. Negative.

II. Utrum non obstantibus *indole et forma historica libri Geneseos*, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum Veteris tum Novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, *praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes*, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum *mythologiis* et *cosmogoniis* deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel *allegorias* et *symbola*, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem *legendas* ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?

Resp. Negative ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de *factis* in eisdem capitibus enarratis, *quae christianae religionis fundamenta attingunt:* uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio?

Resp. Negative.

IV. *Utrum in interpretandis* illis horum capitum *locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt*, quin certi quippiam definitique tradiderunt, liceat, salvo Ecclesiae

iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam?

Resp. Affirmative.

V. Utrum *omnia et singula*, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint *sensu proprio*, ita ut ab eo discedere nunquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat demittere.

Resp. Negative.

VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum *interpretatio allegorica et prophetica*, praefulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit?

Resp. Affirmative.

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere; sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda *scientifici sermonis proprietas?*

Resp. Negative.

VIII. Utrum in illa *sex dierum denominatione* atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *Yôm* (dies) sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque huiusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat?

Resp. Affirmative.

Die autem 30 Iunii anni 1909, in audientia ambobus R^mis Consultoribus ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 30 Iunii 1909.

Fulcranus Vigouroux, P. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.

B. Explicatio decreti.[1])

I. I[um] punctum [2]) comprehendit condemnationem in genere omnium systematum, quae sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Genesis excludunt. Commissio declarat, haec systemata, fuco scientiae propugnata, solido fundamento carere.

II. In II° numero decretum ad singula systemata transit atque praecipua, historico characteri illorum capitum contraria, eliminat. Primo quidem argumenta proponit, quibus historicum genus litterarium trium priorum capitum l. Genesis munitur, vdl.:

1) *indoles et forma historica*, quam ipse scriptor narrationi de creatione et lapsu tribuit, ac *intimus nexus* trium priorum capitum l. Genesis inter se et cum sequentibus capitibus; atqui haec manifesto historica esse intendunt;

2) multiplex *testimonium Scripturarum Utriusque Testamenti*, quae narrationes de creatione vel de lapsu uti historicas citant;

3) unanimis fere *consensus ss. Patrum*;

4) *traditionalis sensus*, quem, ab israelitico populo transmissum, semper fideliter Ecclesia tenuit.

Hisce igitur quatuor argumentis character historicus textus s. munitur. Quibus praemissis Commissio in altera parte eiusdem II[i] puncti reiicit in specie tria systemata, obiectivae realitati et historicae veritati opposita:

a) *mythismum* [3]), qui asserit, in textu s. fabulosa ex cosmogoniis veterum populorum deprompta et a scriptore s. in materia dumtaxat doctrinali ab omni errore expurgata contineri, sed in ceteris elementa fabulosa exhibere;

b) *allegorismum* [4]) sive symbolismum, qui primas paginas

---

[1]) Cfr *Mechineau, S. J.*, L'historicité des trois premiers chapitres de la Genèse, pp. 143 seq.

[2]) Quae Gen. 1 respiciunt, expositio comprehendit.

[3]) v. g. *Reuss*, *Gunkel*, *Holzinger*, *Loisy* et al.

[4]) v. g. *Clemens Alex.*, praecipue *Origenes* aliique.

ss. Scripturarum, uti allegorias litterarias, parabolas, narrationes symbolicas, tropicas, fundamento obiectivae realitatis destitutas, vindicat;

c) systema *mixtum*[1]) duplex genus continens, scilicet, historicum et fictitium, fundamentum historicum exornans, quod (fict.) hagiographus cum scopo doctrinam melius imprimendi animis lectorum adhibuit.

Itaque haec duo prima puncta partem essentialem sive fundamentalem decreti constituunt, nam difficultatem de genere litterario trium priorum capitum l. Genesis eo sensu solvunt, quod illa tanquam historica consideranda sunt.

In punctis sequentibus decretum difficultates in specie respicit.

III. In numero III° Commissio speciatim removet dubium de sensu litterali historico eorum factorum enarratorum *quae fundamentum dogmatum constituunt.* Decretum dogmata religionis christianae tuetur, praecludens interpretationes sensui historico contrarias et sanae doctrinae periculosas, atque inter cetera principalia eiusmodi facta historica laudatorum capitum enumerat.

IV. Gravissimis quaestionibus stabilitis Commissio in n. IV° adnectit decretum de textibus, quos *Patres et Doctores Ecclesiae diverso modo intellexerunt;* de hisce salvo iudicio Ecclesiae et analogia fidei servata, libertatem relinquit.

V. Punctum V[um] monet de regula hermeneuticae observanda in tribus primis l. Gen. capitibus interpretandis, secundum quam *locutiones metaphoricae* non sensu proprio, sed translato exponi debent.

VI. VI[us] n. alteram legem hermeneuticae respicit, vdl. *de sensu spirituali seu typico*, qui hic loci „allegoricus et propheticus" vocatur, ne cum allegoria figura rhetorica confundatur. Sensus itaque spiritualis, litterali et historico praesupposito, vestigiis Patrum et Ecclesiae prudenter adhiberi potest.

---

[1]) v. g. *Minocchi, Bonaccorsi* et al.

VII. VII^{us} n. consilium complectitur *fautoribus concordismi positivi seu rigidi* in Gen. 1 interpretando:

Duplex species concordismi distingui potest, sc. negativus et positivus.

Ille nullam contradictionem inter l. Genesis et probatas conclusiones scientiarum profanarum interesse asserit, quae species ab omnibus admittenda est.

Hic positivam et realem concordiam inter revelationem et scientias demonstrare curat, qui positis ponendis adhiberi potest, attamen interpres caveat, ne in singulis illam concordiam adamussim quaerat, nam scriptor s., prae oculis scopum religiosum habens, in cosmogonia dumtaxat facta valde generalia tradit: lucem in chaos apparentem, magnum spatium, quod inter coelum et terram formatur, terram, quae ex aqua apparet et regno vegetali ornatur, astra in coelo, pisces in aqua et aves in aëre, animalia atque homines in terra, singula autem exposita prorsus deficiunt; nec astronomia, nec geologia, nec botanica, neque zoologia praesto sunt.

Quae cum ita sint, interpres cosmogoniae biblicae muneri suo satisfacit, primo, si *concordismum negativum* docet, i. e. nullam evidentem contradictionem intra Gen. 1, 1-2, 3 et exploratos eventus scientiarum adesse ostendit:

Profecto, ex mente Gen. 1 deducitur, omnia non simul, sed temporibus successivis esse creata, quod scientiae non contradicit.

Porro textus s. enarrat, hominem esse ultimum inter entia viventia, cui assertioni item scientia non adversatur.

Homini praecesserunt animalia et sic deinceps usque ad creationem chaos.

Si exegeta probatam conclusionem scientificam prae oculis habet, quae interpretationi textus sacri, ab eo factae, non concordat, cum s. Augustino agnoscat, non Scripturas errasse, sed eum minus recte illas intellexisse.

Secundo, exegeta positivam concordiam inter cosmogoniam et scientias seu *concordismum positivum* lato sensu

sine accurata factorum et temporum determinatione instituere potest.

Sed VII^{us} numerus decreti interpretem monet, ne systemata astronomica vel geologica in textu sacro quaerat. Hosce excessus concordismi positivi seu rigidi Commissio Biblica avertere intendit.

VIII. VIII^{us} n. quaestionem actualem respicit, quo sensu *vox* יום in cosmogonia biblica interpretanda sit:

Pauci Patres[1]) propter difficultates ordinis scientifici, sc. quomodo tres priores dies, quae apparitioni solis praecesserant, explicandae sint, יום allegorice vel symbolice exponebant ac creationem simultaneam propugnabant; quam interpretationem tum scientia, tum etiam recentior exegesis reiicit.

Multo plures Patres et Doctores existimabant, יום significare tempora realia, successiva, quibus Deus mundum creasset, dies autem naturales 24 horarum fuisse censebant. Quae theoria, sub diversa forma proposita ad strata geologica explicanda, exegetis catholicis et scientiarum peritis aevi elapsi minus placuit, qui concedebant, mundum successive creatum esse, sed יום longas periodos a geologia requisitas esse voluerunt, inde haec theoria nomen periodismi nacta est.

Denique recentissimi exegetae, scopo religioso et systemate hebdomadis in cosmogonia biblica spectato, יום intentione scriptoris sacri diem naturalem esse autumant[2]).

Igitur in n. VIII° decretum libertatem relinquit tribuendi voci יום sensum proprium, vdl. diei naturalis vel sensum improprium — spatii indeterminati.

---

[1]) Cf. infra pp. 113-114.

[2]) Cf. supra p. 40.

C. Argumenta decreti ad historicum characterem cosmogoniae biblicae probandum.

Commissio Pontificia de Re Biblica quatuor argumentis, quae sequuntur, munita historicum characterem Gen. 1 propugnavit[1]:

1. Primum argumentum est *indoles et forma historica*, quas scriptor sacer ipse in narratione intendit, atque *nexus cum sequentibus capitibus*, quae certo neque mythi expurgati, neque allegoriae, neque parabolae sunt:

Sine praeiudicio cosmogoniam biblicam legentes et animum rectum scriptoris s. supponentes, eruimus, hagiographum, scopo religioso scribentem, veram creationem mundi, captui coaevorum accommodatam, enarrare, quod nexus cum sequentibus capitibus manifestat:

Scriptor Pentateuchi scopo religioso initialem historiam Hebraeorum summarie conscribere voluit.

Sortem populi sui usque ad occupationem terrae Chanaan perduxit, postquam gesta per quadraginta annos in deserto enarravit; antea egressum ex Aegypto ac commorationem in hac terra descripsit. Historia emigrationis in regionem Gessen supponit veram historiam Iacob eiusque filiorum, per consequens Isaac et Abraham, patris totius gentis.

Hisce hagiographus non substitit, sed per decursum saeculorum ascendit ad initia populi sui indicanda et simul rationem praestandam, quare et quomodo Deus, intra homines ad malum pronos, primo elegerit individua, deinde familiam, quae in tribum, tum populum crevit, qui depositum fidei et promissionum initialium de Messia conservaret.

Quae cum ita sint, scriptor l. Genesis Abrahamo iunxit summarie seriem maiorum, uti Sem, Noe, Seth, Adam, qui magnas promissiones receperant et posteris transmiserant.

Itaque sponte sua sequebatur ratio Messiae explicanda seu narratio de lapsu et de statu naturae innocentis, qui

---

[1]) Cf. *Mechineau*, Op. l., p. 67 ss.

illum praecesserat, et de primo homine, et de origine universitatis rerum.

Recto animo scriptor, exponens historiam Abraham, Isaac, Iacob, eos non phaenomena astralia considerat, prout schola Winckler vult, sed bona fide credidit, Abraham cum uxore sua et nepote Loth de Ur Chaldaeorum venisse et sic de aliis eventibus vitae tum Abraham, tum posterorum Isaac, Iacob cum filiis.

Eadem indole ac forma etiam ascendentes Abraham describit neque monet ibi esse mythos, allegorias, parabolas. Praeterea saepius renovatae promissiones Abrahamo, Isaaco, Iacobo profecto supponunt veram historiam lapsus et felicitatis in statu innocentiae.

2. Secundum argumentum ad historicum characterem cosmogoniae biblicae demonstrandum est *auctoritas scriptorum Utriusque Testamenti*, qui frequenter citant textus ex Gen. 1, 1-2, 3 eosque historicos esse supponunt. Itaque nonnulli textus ex aliis Libris ss. ad historicam indolem Gen. 1 confirmandam adducendi sunt:

a) Ex Veteri Testamento:

α) Creatio coeli et terrae: Gen. 1, 1 — Ps. 32, 6. 9; 88, 12-13; 135, 5-9; Ier. 10, 11-12; 51, 15; Eccli. 18, 1 in quo „simul“, graece sonat: Κοινῇ, scilicet, pariter.

β) Creatio firmamenti: Gen. 1, 6 — Ier. 10, 12; 51, 15.

γ) Aqua super firmamentum: Gen. 1, 7 — Ps. 148, 4.

δ) Formatio continentis et marium: Gen. 1, 2. 6-7. 9-10 — Iob 38, 4-11; Ps. 32, 7; 103, 6-9; 135, 5-9.

ε) Creatio solis, lunae, stellarum: Gen. 1, 14-18 — Ps. 135, 7-9.

ζ) Dominium hominis in animalia: Gen. 1, 26. 28 — Eccli. 17, 4.

η) Homo creatus ad imaginem Dei: Gen. 1, 27 — Sap 2, 23; Eccli. 17, 1.

ϑ) Opera Dei bona: Gen. 1, 31 — Eccli. 39, 21.

b) Ex Novo Testamento:

α) Deus creator coeli et terrae: Gen. 1, 1 — Act. 14, 14; 17, 24.

β) Mundus ex nihilo seu ex invisibilibus verbo Dei formatus: Gen. 1, 1-3 — Hebr. 11, 3.

γ) Terra ex aqua apparens: Gen. 1, 9 — 2 Petr. 3, 5.

δ) Adam solus immediate a Deo creatus: Gen. 1, 26-28 — Act. 17, 26.

ε) Homo creatus ad imaginem Dei: Gen. 1, 26 — 1 Cor. 11, 7; Coloss. 3, 10.

ζ) Deus creator viri et mulieris: Gen. 1, 27 — Mt. 19, 4; Mc. 10, 6.

η) Quies Dei die septima: Gen. 2, 2 — Hebr. 4, 4.

Ex hisce textibus luculenter apparet, scriptores Veteris et Novi Testamenti facta cosmogoniae biblicae utpote historica considerasse.

3. Tertium argumentum ad probandum genus historicum cosmogoniae consistit *in unanimi fere consensu Patrum et Doctorum Ecclesiae.*

Opificium sex dierum interpretibus ab initio graves difficultates praebuit, quomodo priores dies ante apparitionem solis explicandae sint, quae sint dies sine sole, luna, astris. Ad hanc difficultatem solvendam allegorica explicatio cosmogoniae introducta est. Princeps auctor huius theoriae apud Iudaeos fuit Philo Alexandrinus, qui sex dies creationis in sensu litterali reiecit[1]).

Primi Patres *Ecclesiae Alexandrinae* eodem vitio laborant:

Ita Clemens Alex. († circa 217) primo creationem simultaneam dumtaxat materiae, unde mundus formatus est, asseruit, quod probe teneri potest; postea tamen etiam

---

[1]) Legis Allegoriae I, t. 1, p. 44, apud *Mechineau*, Op. c., p. 15.

creationem simultaneam omnium operum hexaëmeri propugnavit[1]); dies fuisse λόγος seu verbum, quo Deus omnia fecisset, vindicavit.

Origenes († 254) audacius magistro suo Clemente processit, nam sensum allegoricum fere unice sectatur. Operibus, in sex dies distributis, solam diversitatem ordinum in creatis exprimi, dies esse ideales, non autem reales affirmavit.

Secundum opinionem Origenis igitur singula opera allegorice tantum sunt interpretanda, vdl. coelum sunt angeli, abyssus est infernus, aqua superior et inferior sunt boni malique angeli, sol et luna — Christus et Ecclesia, stellae — patriarchae et prophetae, reptilia aquarum sunt cogitationes malae, volatilia coeli sunt cogitationes bonae[2]) etc. Ergo allegorismus Alexandrinus Philonis, Clementis, praecipue Origenis auctoritatem historicam factorum in Hexaëmero tollit, qui cum allegorismo prophetico non est confundendus. Hic enim sensum litteralem, uti fundamentum sensus spiritualis seu typici praesupponit; e contrario ille sensum litteralem, historicum destruit, eum omnino tollit.

Post Origenem in Ecclesia Alexandrina s. Athanasius († 373) et s. Cyrillus († 444) consulendi sunt.

Ille ideas Origenis de creatione simultanea omnium operum hexaëmeri defendit[3]) cum eo discrimine, quod nequaquam realitatem factorum negat, prout Origenes in allegorias mutaverat. Hic tenet allegoriam, attamen typicam sive propheticam, quae sensum litteralem non tollit, sed eo nititur[4]).

Aliam viam ingressus est s. Ephraem († circa 373), *Ecclesiam Syriacam* repraesentans, qui sensui litterali adhaeret, creationem simultaneam respuit, dies tuetur naturales, quas quidem a vespera ad vesperam metitur, quod creationem

---

[1]) Stromatum l. VI, c. 16: P. G. 9, col. 369.
[2]) Hom. in Hex.: P. G. 12, col. 145 ss.
[3]) Oratio II contra Arianos n. 49 et 60: P. G. 26, col. 249. 276.
[4]) P. G. 69, col. 17-21.

coeli et terrae prima die includat. Creationem docet ex nihilo et in tempore factam[1]) esse.

Schola Antiochena pariter historicam auctoritatem factorum hexaëmeri defendit:

Ita s. Ioannes Chrysostomus († 407), qui multas homilias composuit, creationem simultaneam reiicit, non quod apud Deum impossibilis sit, sed quod Deo placuit opera successive creare, prout Moyses narrat[2]).

Porro mentione digni sunt ex *Cappadocia* s. Gregorius Naziansenus ac fratres s. Basilius et s. Gregorius Nyssenus.

S. Gregorius Naz. († circa 390) in sermone manifestat, se distinctas et successivas septem dies ac opera, quae Deus illis diebus fecerit, considerare[3]).

S. Basilius († 379) in Hexaëmero, quod novem homiliis constat, primum creationem simultaneam materiae primae admittit; porro, quando dies explicat, quibus formatio mundi et productio specierum describitur, distinctas et successivas tenet ac naturales 24 horarum tuetur[4]). Interpretationes allegoricas, sensu litterali carentes, diserte reiicit.

S. Gregorius Nyssenus († circa 394) placita fratris explanaturus, creationem simultaneam omnium elementorum enucleatius s. Basilio defendit[5]); deinde explicat, res per creationem elementorum fuisse indistinctas seu in potentia et in subsequenti opere sex dierum esse productas seu in actu[6]).

Post Patres orientales *latini* consulendi sunt.

Ex numero antiquorum Patrum occidentalium fragmenta Hexaëmeri ab Hippolyto († circa 235) conscripti ad nos pervenerunt. Ex quibus discimus, Deum prima die elementa

---

[1]) Apud *Hummelauer*, Op. c., p. 50.
[2]) P. G. 53, col. 35.
[3]) P. G. 36, col. 609-612.
[4]) P. G. 29, col. 48-49. 93. 105. 120. 148.
[5]) P. G. 44, col. 68-72.
[6]) P. G. 44, col. 72-73. 77-79. 113-120.

omnium rerum e nihilo fecisse, deinde sequentibus ex illis elementis omnes res formasse [1]).

S. Ambrosius († 397) commentarium in Hexaëmeron, in sex libros secundum sex dies creationis divisum, scripsit: In ss. Litteris explicandis sensum mysticum saepissime proponit, attamen sine damno sensus litteralis.

Cum locutionem „*in principio*“ Gen. 1, 1 exponit, diserte asserit, primo coelum et terram creata esse, initium operis divini fuisse et ante alias creaturas visibiles poni [2]). „*Coelum et terram*“ infra eo sensu explicat, ut sint elementa, „ex quibus generentur omnia, quae mundi sunt [3])“. Porro adnotat, statum chaoticum terrae apparitioni lucis et solis praecessisse; certum igitur ordinem successionis in operibus divinis admittit [4]). Postea in causam inquirit, quare Deus „non simul ornatus congruos assurgentibus donaverit elementis“, sed successive formaverit [5]).

Itaque s. Ambrosius creationem simultaneam elementorum et successivam productionem operum hexaëmeri tuetur.

S. Augustinus († 430) ter cosmogoniam ex professo interpretatus est: primo, in op. „De Genesi contra Manichaeos“ 386 a.; secundo, „De Genesi ad litteram liber imperfectus“ 393 a.; tertio, „De Genesi ad litteram libri duodecim“ [6]) 401-415 a. Praeterea huc spectant: a) „De Civitate Dei, l. XI, b) „Confessionum“ l. l. XI, XII, XIII.

Doctrina s. Augustini de Hexaëmero breviter haec est [7]): Ad difficultatem trium dierum sine sole, luna, stellis solvendam, creationem simultaneam non tantum elementorum, sed etiam omnium operum hexaëmeri vindicat. Quamobrem dies non sunt spatia successiva, sed allegorias et symbola

---

[1]) P. L. 10, col. 585,
[2]) P. L. 14, col. 128.
[3]) Ibidem, col. 132.
[4]) Ibidem, col. 136.
[5]) Ibidem, col. 137.
[6]) I, II, III — P. L., 34.
[7]) Fusius cf. *Hummelauer*, Op. c. p. 52-55; *Vigouroux*, Mélanges bibliques², p. 92-102.

visionum angelicarum exhibent; duplicem visionem pro quovis opere distinguit, vdl. matutinam in Verbo, vespertinam rei in se. Hoc sensu dies mane et vespere constat. Ergo dies apud s. Augustinum sunt pura symbola visionum angelicarum. Attamen episcopus Hipponensis contra Origenem obiectivam ac realem veritatem operum creatorum seu fundamentum historicum tenet: sol, luna, plantae, animalia etc. sunt vera, non pure allegorica.

Post s. Augustinum mentione dignus est ex recentioribus s. Gregorius Magnus († 604), qui simultaneam creationem elementorum, sed successivam formationem operum hexaëmeri seu specierum enumeratarum a Moyse propugnat, de quibus 32° l. Moralium agit[1]).

Eandem opinionem proponit Beda Venerabilis[2]) († 735).

S. Thomas († 1274) de theoria s. Augustini primum dixit: „Haec opinio plus mihi placet[3]); serius in Summa, expositis duabus opinionibus, vdl. s. Augustini, qui „ab aliis expositoribus dissentit“ et alia, dumtaxat animadvertit: „ut igitur neutri sententiae praeiudicetur, utriusque rationibus respondendum est“.

Quibus praemissis, ex traditione Patrum hae conclusiones sequuntur:

a) Origenes et Clemens Alex. soli in opificio sex dierum ac nominibus operum divinorum allegorias seu locutiones pure metaphoricas esse asserunt; ceteri sensu historico opera divina interpretantur, nec s. Augustino excepto.

b) Difficultas ordinis scientifici, scilicet, quomodo tres priores dies sine sole intelligendae sint, nonnullis occasionem interpretationis simultaneae operum in Hexaëmero praebuit. Eiusmodi praecipui eminent: s. Athanasius apud Graecos, s. Augustinus et s. Thomas inter Latinos. Hi exponebant,

---

1) P. L. 76, col. 644-645.
2) P. L. 91, col. 191.
3) In lib. II Sentent., dist. 12, q. 1, a. 2.

sex dies esse formam seu schema litterarium ad conscribenda opera cosmogoniae vel symbola sex visionum angelicarum.

c) Decursu temporis paulatim, post longam haesitationem, praesertim ob auctoritatem s. Augustini et s. Thomae, creatio simultanea locum cessit alteri theoriae, quae, post praeviam creationem simultaneam elementorum, formationem successivam operum hexaëmeri proposuit, nam progressus scientiarum demonstravit, mundum gradatim, lente formatum esse.

Igitur Origene et Clemente Alexandrino seclusis, unanimis consensus Patrum ac Doctorum ad characterem historicum cosmogoniae propugnandum habetur.

4. Quartum argumentum est *communis et ordinaria doctrina Ecclèsiae*, quo nomine praedicatio fidelibus et catechismus pueris audit:

Non est dubium, quin oratores et magistri rudimentorum fidei in tota Ecclesia, doctrinam de creatione explicantes, facta cosmogoniae biblicae utpote realia et historica unaniminiter proponant. Quod ex libris concionatorum et cathechismis manifesto apparet et est inutile, ut longius immoremur.

Ad rem illustrandam sufficiunt pauca exempla, quae ab antiquitate posterioribusque temporibus doctrinam Ecclesiae exhibent:

a) Opus recenter inventum s. Irenaei, quod primus cathechismus antiquitatis christianae dici potest, facta creationis complectitur [1]).

b) Opus s. Augustini: „De cathechizandis rudibus“ [2]) mentionem facit factorum creationis, utpote realium et historicorum.

c) Cathechismus concilii Tridentini in art. „Credo“, creationem respicienti.

d) Cathechismus recentissimus Summi Pontificis Pii X

[1]) Opus translatum ex armenica lingua in germanam in collectione: „Texte und Untersuchungen“, t. 31, fasc. 1, num 11 ss.

[2]) P. L. 40, col. 432-433.

pro provincia Romana, doctrinam authenticam Ecclesiae exprimens, in fine continet: „Breve storia della religione“ cum factis historicis cosmogoniae.

D. Corollarium.

Cosmogonia biblica et disciplinae physicae.

Post ea, quae in prima parte problematis de scopo religioso scriptoris et historico-populari charactere cosmogoniae biblicae seu de indole historica, sed modo loquendi de legibus et phaenomenis physicis secundum externam apparentiam, explanata sunt;

post ea, quae in secunda parte potissimum in numero 7° Decreti dicta sunt, scilicet, de mente scriptoris Gen. 1 nequaquam „*intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more*“ [1]) docentis tum quae in explicatione numeri 7[i] Decreti, nempe de concordismo notata sunt; denique quae in genere de quatuor argumentis Decreti indolem historicam Gen. 1 vindicantibus, sed nullibi sensu nostro scientifico defendentibus, exposita sunt:

pauca de relatione Gen. 1 ad disciplinas physicas dicenda restant.

Nonnulli theologi 19[i] saeculi, Kantii et Laplace theoriam de origine mundi eiusque evolutione prae oculis habentes, concluserunt, cosmogoniam biblicam accurate originem mundi describere. Sex dies hexaëmeri fuisse sex longas periodos affirmarunt; vocem hebraicam יוֹם secûndum opinionem eorum periodum, non diem naturalem significare; inde nomen theoriae *periodismus* derivatur, minus autem recte con-

---

[1]) Cfr textum Decreti, p. 106.

cordismus appellatur, nam mythismo excepto omnia systemata ad concordiam seu harmoniam inter Gen. 1 et scientias intendunt.

Periodismi fautores schema, quod sequitur, per strata geologica et palaeontologica plus minusve instituere conantur:

Disciplinae physicae: *Periodi:*	**Scriptura s.:** *Dies Gen.*	**Communes notiones:**
Cosmica Azoica	I dies	Creatio materiae in statu vaporaceo; apparitio lucis.
Palaeozoica: a) formatio cambrica b) „ silurica	II dies	Transformatio partis vaporum circa terram in aquam; formatio atmosphaerae.
c) „ devonica d) „ carbonica	III dies	Apparitio aridae; regnum plantarum.
e) „ permica Mesozoica: a) formatio Trias	IV dies	Apparitio astrorum.
b) „ Iura c) „ cretacea	V dies	Monstra marina, minora aquatilia, aves.
Kaenozoica	VI dios	Animalia terrestria; creatio hominis.

Periodismus per aliquot decennia aevi elapsi floruit, sed hodie progressu geologico facto derelinquendus est[1]:

[1]) *Michalski W.*, Starożytne dzieje biblijne, Kraków 1912, pag. 156.

a) Aquatilia primo apparent non a periodo Iurae, sed permulta in antiquioribus stratis inventa sunt seu ante V diem Gen. 1, vdl. formatio cambrica et silurica et devonica plus, quam 20000 generum palam fecerunt.

b) Nova genera plantarum apparent etiam longe post carbonicam formationem seu post tertiam diem biblicam, v. g. silvae alto loco crescentes apparent tantum aevis mesozoico et kaenozoico.

c) Maxima difficultas periodismi est creatio solis quarta die, quoniam solem prius existere oportebat, v. g. ad strata carbonica formanda etc.

d) Non excluditur absolute, vocem יום apud Israelitas longum temporis spatium designare; sed textus (Gen. 2, 4; 3, 5; Is. 49, 8; Ez. 7, 7), quibus periodistae theoriam suam muniunt, indicant solummodo, vocem יום pariter in usu fuisse ad longius vel brevius tempus, quam 24 horae denotandum; quae tamen non constituunt periodos geologicas sensu proprio [1]).

Septimam diem quod attinet, nil mirum, quod formula finali caret cum aliae dies creationis eam non sequantur.

Theoria periodismi in genere s. Scripturae non profuit, quoniam fautores eius obliti sunt, scopum Scripturae s. esse de Deo nostraque ad Deum relatione edocere, non scientias physicas investigare. Quapropter Leo XIII zelum periodistarum in celebri encyclica „Providentissimus Deus“ a. 1893 cohibuit monendo: „Scriptores sacros seu verius Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse intimam adspectabilium rerum constitutionem docere homines, nulli saluti profuturam; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos [2]).

---

[1]) Cfr p. 40.

[2]) *Camerlynck, A.*, Compendium introductionis generalis in sacram Scripturam. Pars prior: Documenta, Brugis 1911, p. 21.

Igitur cosmogonia biblica mundi evolutionem non scrutatur; hagiographus problema, qua relatione sit Scriptura sacra ad principia cosmologiae et geologiae non solvit. Equidem cosmogonia biblica veram originem mundi tradit, sed pro scopo religioso nonnisi generalia exhibet; proinde quaestiones geologiae et palaeontologiae in Gen. 1 deficiunt.

Conclusio finalis.

Idea cosmogoniae biblicae est haec:

a) Deus creavit mundum et omnes res, quarum praecipuas scriptor inspiratus enumerat. Opera creata auctoritate historica gaudent.

b) Deus omnia in mundo egregie secundum finem propositum disposuit, scilicet, res creatae Dei ideae respondent seu bonae sunt, praecipue vero homo, qui Dei ideam optime exprimit.

c) In serie operum creatorum scriptor sacer indolem rerum non scrutatur, sed secundum apparentiam seu coaevorum ideis solummodo adnotat, haec omnia a Deo esse creata, simul corrigere conatur falsas ideas de Deo, de Dei relatione ad chaos, ad monstra marina, ad astra et alia, quae Israelitae a vicinis populis, praesertim Babyloniis noverant.

d) Praeterea scriptor, peculiari modo a Deo illustratus, inculcare conatur animis lectorum momentum legalis hebdomadis ratione habita Dei colendi, videlicet, imprimere studet, sabbatum esse sanctificandum, quapropter narrationem suam schemate litterario septem dierum naturalium comprehendit.

e) Breviter, inspiratus scriptor exponit tantum relationem mundi ad Deum, intimam indolem eius non examinans; mundi evolutionem hagiographus simpliciter non proponit eam omittit, utpote scopo suo non convenientem.



Index rerum.

Pag.